DICTAMINA
SEU
SCITA VARIÆ DOCTRINÆ,
POLITICÆ, MORALIS, STOICÆ, CHRISTIANÆ & SPIRITUALIS.

Ex Operibus

R. P. JOANNIS EUSEBII NIEREMBERGII, S. J.

COLLECTA,

Et ab ipso Authore recognita.

Olim ex Hispano in Latinum

TRANSLATA;

Nunc verò

REIMPRESSA

CALISSII

Typis S. R. M. Collegii S. J. 1740.



I

Lumina soligenæ Volucris, soliisque propinquæ
Non poterit Liber hic lædere, luce novâ.

II.

O Avis! ad superos olim Te penna ferebat,
In Cælum posthac efferet ipse Typus.

ILLUSTRISSIMO
REVERENDISSIMO
DOMINO
MATHIÆ SOŁTYK
EPISCOPO MARGARETANO
SUFFRAGANEO CULMENSI
Præpoſito Archi-Cathedrali
Gneſnenſi &c. &c.
DOMINO & MECÆNATI
Ampliſſimo.

L*Ucem, quam à prelo acceperunt,* Dictamina P. Euſebii Nierembergii, *Tibi in acceptis referunt:* Magnum Eccleſiæ Polonæ Sydus, *ANTISTES ILLUSTRISSIME. Fortis impulſus fuit, ut denuo*

recuderentur, ea probari Tibi; pudebat enim jam frequenti manu attritas, squalore obsitas, antiquitate obsoletas paginas, sæpiùs in oculos Præsuleos venire, nisi novitatem typi induissent. Statuimus itaque, cibum hunc animi Tui, longè suavissimum, & sacræ mensæ bellaria, quæ Tibi mirè quàm sapere intelleximus, in tersiore apponenda esse ferculo. Illud etiam persuasum habuimus, quòd Peregrinum obsonium hoc, lectoribus movebit famem, si fama emanaverit, illud placere Tibi, eritque id ipsum, quod hæc dictamina in manibus Tuis, hospitium, in mente sedem fixerint, invincibile dictamen aliis, ut eorundem lectionem, certatim, & avida voluntate appetant. Sic illa dictamina quæ assiduitate legendi, Tuæ solius sunt impressamenti, novis formis nostrâ operâ, multorum moribus Tuo exemplo, legentur reimpressa, lucemque aliis hic liber dabit,

quam

quam Tibi debet. Brevis ille est, sed qui brevitate sua, multa nervosè contineat, multa dilucidè doceat: Tu pariter, omnis, Divinæ humanæque scientiæ, absolutum es compendium, quam ab ineunte ætate comparâsti, usu ipso perfecisti, rectè administratis negotiis absolvisti. Habet ille, politicæ spiritualisque doctrinæ principia: rationes vitæ Tuæ, ex utroque hoc instituti genere componuntur. In Te etenim Respublica Civem optimum, Illustrissima Familia lumen clarissimum, immortali memoria dignus PRIMAS THEODORUS POTOCKI curarum & consiliorum suorum sacrarium, non tantum proximè cognatum, sed etiam probè cognitum sibi Prælatum Domesticum, Tribunal Regni Poloniæ iteratîs vicibûs Præsidentem, juris & justitiæ æquè scientissimum ac observantissimum, non magis gladiô formidandũ, quàm Religione & Authoritate

tate venerandum, habuerunt & habent. In Te Ecclesia Præsulē Sanctissimum, prima in Regno Poloniæ Gnesnensis Metropolis Prælatum primum, Culmensis Provincia secundîs auspiciîs Pro-Episcopum vigilantissimum, coluerunt & colunt. In his constitutus officiis, politica spiritualiaque cùm tractes negotia PRÆSUL ILLUSTRISSIME, politicis spiritualibusque regi Te est necesse dictaminibus, quæ tamen Tu ita invicem concilias, ita Divinis accommodas rationibus, ut in omnibus primo Tibi loco sit Orthodoxa Religio; templorum nitor, morum intaminatus candor. Auxisti Torunensem Ecclesiam splendidis Altaribus, Altaria pietate Tuâ, homines sacrosanctis moribûs, non alio certè, quàm è schola Spiritûs Sáncti hausto dictamine. Nec enim satis Tibi fuit cultum Divorum instaurare in Altaribus, nisì etiam culturam morum

rum

rum instaurares in hominibus, propagatîs hîs, quæ in lucem edi voluisti, melioris vitæ dictaminibus; quorum, quicunque tandem existet fructus (speramus autem fore uberrimum) totus ad gloriæ Tuæ proventum, in cœleste inferetur horreum. Ipsa quin etiam Superum Ministra Ales Tua, quàm Serenitátibus affinis, et non solibus tantùm, verùm etiam Soliis coronatis proxima, tam cœlo conjuncta, non jam fulmina, sed hæc ad Superos feret Dictamina, tanquam suo scripta calamo, quia suo editá admonitu. Quam igitur animis hominum, de Tuis virtutibus existimationem impressisti, eam in hisce Dictaminibus accipe reimpressam, quæ quicunque deinceps leget, in illis, vitæ Tuæ expressam esse idæam intelliget. Non enim nos tantùm in novas paginas, sed Tu etiam in mores Tuos, transtulisti hæc Dictamina;

ita

ita,ut omnis Tua Actio, ad hanc regulam conformata esse videatur. Speramus, lucem, quam huic libello, sub Tuo Nomine dedimus, Aquilinos minimè offensuram esse oculos; imò benignè respiciendam fore, utpote ab ea palpebra, quæ Supernorum luminum dictaminibus, qualia passim in hoc opere continentur, est optimè assuefacta. Interea, dum hic liber (prout sæpius assolet) a Tua pendebit manu, pendebit pariter à Tuis obsequiis

Præsuleæ Voluntati

Obsequentissima

Typographia Collegii Calissien. S-J.

DICTAMINA REGIA
SEU
POLITICA.
DECAS I.

I.

ONus honoratum eſt Regia dignitas: æquè onerat ac ornàt. Solium non eſt ſedes quietis, ſed ſtadium laboris. Princeps licet unus ſit, negotiari tamen debet ſalutem plurimorum. Sunt munia maximi laboris, quæ Reges ſedendo exercent, Prudentiſſimè Philippus II. munus Regium idem eſſe dixit, ac opus textoris. Hic ſedet quidem, ſed toto corpore laborat, manibus, pedibus, ore. Nulla eſt potentia Animæ, quam non oporteat occupari in Rege.

2. Ut benè imperes aliis, fac ut Ratio imperet tibi: tùm ſolùm Princeps, ſi habeas affectus, non habearis. Ignominoſum foret, præeſſe populo, ſubeſſe appetitui. Si paſſio mundum gubernet, omnia confuſio involvet. Quale monſtrum, corpus absquè capite! Tale & Regnum eſt, ubi Ratio non præeſt, aut æquitas,

3. Prudentia fulcrum est salutis publicæ. Meliùs illam tuetur sagacitas, quàm potestas, industria quàm vires. Prudentia præsupponit cognitionem substantiæ; hinc tota est, ut accidentia eventura prævideat.

4. Munus suum non benè Princeps alteri crediderit. Reperiet facilè prudentiores, qui judicent; sed non electos â Deo, ut imperent. Peculiari providentia Deus Regibus assistit, uti instrumento operis eximii. Non æquè aliis favores suos impendit, non Archangelum, aut plures Angelos in custodiam mittit. Illis hoc peculiare est, ut dum nequeunt Imperii curam committere aliis, per hos cœlestes Spiritus adjuventur.

5. Non consideret Princeps Status suos, uti hæreditatem â Majoribus acceptam, neque ut donum fortunæ, aut munus astrorum, sed uti officium â Deo commissum, uti negotium â Cœlo imperatum. Reges Persarum non quiescebant ad placitum; quotidie Servus dispellebat somnum dicens: Surgito Rex, & sumito curas â Deo tibi commissas. Hoc Excitatoris munus apud Principes Christianos Conscientia subeat, excitetque in labores publici boni. Imperare non est sors aut felicitas, sed officium Regis.

6. Regnare res est plena periculi. Subjectos occupat labor, refrænant leges, admonent Amici. Rex (ait Socrates) his

omnibus caret. Non illos necessitas cogit, Potestas â legibus eximit; *Majestas* monitores excludit. Sola virtus supplere potest hæc omnia.

7. Media inter timorem Dei, & amorem subditorum tutissima degit Principum Majestas; & Corona, Deum si timeat, ametque subditos, ambitur ab utrisque. Donet Deo cor suum, dabitque illi Deus & suum, & subditorum. Sit cunctis amabilis & nemo erit ipsi metuendus.

8. Nullo Deus magis eget ac Principe, neque ullus magis Deo ac Princeps. Prima illius cura sit servire Deo, ut sui serviant Deo. Non benè imperabit homini, si malè obsequatur Deo. Non poterit bonus Rex esse populi, qui fuerit malus subditus Cœli. Curet Rex Divina, & Deus providebit humanis.

9. Fides, & Religio basis est Regnorum. Crescente illâ crescunt & ista, deficiente deficiunt. Fidei debet Princeps obedientiam subditorum, uti Fides debet Principi sustentaculum Ministeriorum. Non habet Fides subjectum illustrius, quàm Regiam Majestatem; neque Rex munimentum robustius, ac Fidei veritatem. Ubi hæc viget, sacra floret Politia: ubi exulat, omnis ratio Statûs evertitur. Non enim rerum ordo immutatur, si Religio statuatur ut medium, Imperium ut finis; quin potiùs

vires Imperii medium sunt Religioni firmandæ.

10. Dilatare Fidem inter infideles, ingens accessio est Regiæ dignitatis. Plus eâ fœneratur, quàm armis. His flectuntur rebelles, illâ obtinetur vastissimum Regnum intellectûs, subditurquè voluntas se dedentium. Hac ratione subjectio victis accepta redditur, ipsa servitus transit in materiam amòris: dum scilicet se obstringi sentiunt Providentiæ Divinæ, mediantibus armis transferentis illos â tenebris errorum ad Fidei claritatem.

DECAS II.

11. Sensatè Pelopidas respondit monentibùs, ut cautiùs se tueretur. Aliorum, inquît, hoc est, quibus sui cura incumbit; Imperator omnium est, non suus, & aliorum commoda anteponit suis. Persona Regis decoratur Majestate humanâ; ac bonum Regni nescio quid Divinum habet. Æquè enim Philosophorum ac Theologorum doctrina est, bona quantò magis communia tantò magis esse Divina.

12. Non existimet Princeps, Rempublicam magis suam esse, ac ipsum Reipublicæ. Totus quantus est, illius servitio mancipatur. Alios otium docet operari malè; in Principe ipsum non agere, est malè agere.

13. Generositati Principis non officit servare se, ut servet suos: eximere se pericu-

lis

lis ut iis eximantur & sui. Vera fortitudo non est horrere vitam, sed contemnere mortem. Potest & amari vita; licet mortem contempseris. Nam Contemptus illius mali, & amor hujus boni tendere debent in eundem scopum, qui est salus, & utilitas communis.

14. Rex licet unicus sit, laborat tamen pro multis, atque inde habet quòd æstimet labores suos. Plurimi agent malè, si ille non operetur benè. Multi agent benè, si ille non operetur malè. Tota Regni machina Cœlorum instar cardine suo vertitur; illorum minimum vitium redundat in terram, hujus in populum. At si benè agat, digito movet universa, penè dixerim, solo desiderio agendi.

15. Voluntas Principis est imago omnipotentiæ Divinæ. DEUS solâ voluntate operatur, quod vult: Princeps solùm arridendo omnes trahit in sequelam. Sua suorumquè felicitas erit, si complaceat sibi in bono, si colat virtutem, si amet æquitatem.

16. Ad duo præcipuè advertat Princeps; quòd imperet hominibus, & quòd ipse sit homo. A primo assuescet humanitati: à secundo non efferetur in superbiam. Per illud reddetur bonus Pater: per hoc non erit malus Dominus.

17. Licet Princeps dominetur mortalibus, nihil tamen præter virtutem immor-

tale habet, quæ ubi, ubi sit, semper veris bonis stipatam videris.

18. Regia dignitas æstimari non debet ab indulgentia fortunæ, sed à pretio virtutis, & prudentiâ consilii. His cardinibus versatur publica res, tametsi non respondeat eventus. Prudentia enim mensurari non debet ab eventu, qui sequitur, sed â consilio, unde nascitur.

19 Virtus principis non sit ficta aut affectata, sed sincera & solida. In munere enim, quo fungitur, ambitioni locus non est, nec dependentiæ ab aliis. Ambitiosi hoc vitio laborant, ut contenti ascititiâ virtutis veluti latrunculi eam despolient, illiusquè veste induti velint honorari, ipsâ nudâ relictâ, & quasi captivâ. Nunquam enim illa minùs libera est, & magis serva, quàm quando contempta sustentare debet apparentiam ambitionis.

20 In principe mensura actionum non sit potestas, sed honestas, & ratio decori. Possit, quod licet, non velit, quod libet. Errat, si existimet se plus posse, quàm liceat. Voti licentiam sola virtus honestare potest. Minimâ licentiâ utatur, qui potest sumere maximam. Velle omnia, quæ possis, tyranni est, & scelestissimi: velle solùm, quod licet, DEI & boni. Si quod affectus suadet, præberet fortuna, brevi Universum ruina involveret. Stabit po-

te-

testas subinde errando: semper peccando nunquam subsistet.

DECAS III.

21. Honestas virtus est maximè Regia: in illo plus habet fulgoris, ac in alio quolibet. Cùm enim omnium oculi tendant in actiones illius, necesse est eas alienas esse ab omni eo, quod in plebe vel excusari potest, vel faciliùs condònari. Norint Principes ipsam Majestatem sibi damnosam, aliis scandalosam esse, nisi honestate firmetur. Cùm enim non sit, qui potestati resistat, agitur impunè, quod voluntas elegerit, non quod honestas statuerit.

22. Habet & potestas servitutem suam. Regi enim non æquè licet agere, quod cæteris. Aptè Seneca scribens Potenti cuipiam: *Multa tibi non licent, quæ humillimis, & in angulo jacentibus. Magna servitus est magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere. Audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi Libelli, tantus rerum ex orbe toto accurentium congestus.* Mille occupationibus subest, qui imperat.

23. Quæ major gloria in Principe, quàm cùm possit, quod ipse vult, patiatur quod alter cupit; clemens ad injurias proprias, justus ad alienas? Parùm quippe est ex alieno liberalem esse, nisi & de propria addas. Sortis, & Majestatis sublimitas exigunt animum sublimem. Sublimis animus novit

ignoscere, suevit dissimulare, se præbere affabilem, odium reprimere, refrænare appetitum. Et hoc est verum animi robur, cui â temeritate non sit periculum.

24. Animus Principis legitur in Speculo clementiæ. Per eam manifestat se quis sit, & confirmat esse quod est. Manifestat se esse Principem, dum mitigat rigorem legis mortuæ, Lex ipse viva. Confirmat esse, quod est, dum animos subditorum conciliat sibi, ipsamq; dominationem amabilem reddit. Duobus præcipue Rex intendat, oportet: delinquentibus, & Reipublicæ. Si delinquens Publico officiat, erit clementia respectu hujus in illum rigore uti. Quod si delicti qualitas, aut delinquentis persona locum præbeant pœnæ mitigandæ, erit clementia respectu Principis rigore non uti.

25. Cùm vita subditi descripta sit in vultu Regis, omnis inde exulet iracundiæ motus, verissimum temulentiæ simulacrum. Animus ei semper innubis sit, nullâ peregrinâ specie aut impressione obfuscatus, quem non valeant etiam inopinatissimi eventus conturbare. Nihil inconvenientius emendaturo peccantes, ac irasci. Turpe est culpâ suâ emendare alienas. Errores subditorum non sunt corrigendi â Principe cum dispendio authoritatis Agant hoc Ministri Justitiæ, quorum munus est corripere deliquentes.

26. Non habeant Reges, quòd in illis condonetur: ipſi autem condonent quàm plurima aliis. Tam probroſa illis ſunt reorum ſupplicia, quàm Medicis ægrotantium funera: Seu defectus ſit experientiæ ſeu caſus, neutrum laudabile eſt. Parùm differt aſſiduis belli injuriis premi, ac ſub crudeli Principe mereri. Supplicia adhibenda ſunt non in ſenſum doloremque nocentium, ſed in exemplum aliorum. Pari ratione condonandæ ſunt pœnæ, non quia ſic libet, ſed ut rei emendentur. Clementia Principis incutit bonis peccandi horrorem; nequè minor ars eſt, manſuetudine delicta corrigere, quàm ſeveritate.

27. Pœnæ infliguntur, non quia peccatum fuit, ſed ne peccetur deinceps. Præterita emendari nòn poſſunt, at futura præveniri. Proficit multis, ut vivant benè, ſi moriatur unus, quia vixerat malè. Injuria eſt bonis, ſi indulgeatur perverſis Æger inordinatus facit Medicum ſeverum. Idem crudelitatis genus eſt, condonare omnibus, ac condonare nulli Imperare non munus eſt duntaxat, ſed & ars conſtans habitu proprio. Igitur adminiſtrare juſtitiam ars eſt, artis opus pax communis, & felicitas omnium.

28. Condemnat ſeipſum, qui indulget facinoroſo Punitio delictorum mater eſt quietis; inde illa Reipublicæ naſcitur, inde ali-

alitur, & sustentatur. Principis est satagere, ne vitia impunè vigeant. Hoc aget, si sustinuerit authoritatem Judicum, non revocando facilè, aut immutando, quòd justè statuerint. Hac ratione sceleratos continebit metus supplicii, sed & aditus præcludetur appellandi ad principem, & statutam pœnam evertendi. Justitia accelerata proxima est injustitiæ, præcipitata crimini.

29. Nunquam Princeps per seipsum supplicia irroget; sed neque, dum irrogantur, præsens sit. Amari illum magis, quàm timeri, ratio utilissima est Reipublicæ conservandæ. Nequit enim amare quispiam, nisi metuat offendi, quem amat; timens autem potest non amare, quem timet. Quin videris plerumquè metum odio cunjungi, & quos metuimus, odisse. Magis proinde convenit Principem amari ab omnibus, odio haberi â nullo, Plurimum quoquè proderit præmiorum distributionem reservare sibi, puniendi rationem committere Ministris: quatenùs præmiati colant ipsum uti Benefactorem, condemnati non oderint uti Judicem.

30. Auris altera semper servanda est accusato; & exspectanda veritas quam solet mora detegere. Pœna dilata adimpleri potest; semel illata nequit revocari. Connivendum quandoquè. Præstat decipi, quàm diffidere. Gloriosum est Principi Con-

condonare suis, & quasi ignorare; quod, si sciisset, dissimulandum non erat.

DECAS IV

31. Damnosius malum est seditio, quàm bellum. Illud principio sui est medicabile; dum proficit, mortale: sed & cùm declinat, perniciosum. Ex complicibus castigandi pauci, sed acerrimè; cæteri clementiâ obstringendi. Nulli omninò parcere periculosum est. Tantùm perdis, quantùm sevieris. Verùm aliud est seditio, aliud querela. Hanc præstat negligere, illi tempestive occurere.

32. Plus timeat Princeps opera sua, ac hostes alienos. Non vereatur mala sustinere, sed facere: ex his enim illa nascuntur. Hæc est differentia Regis & Tyranni. Rex timet subditis, Tyrannus subditos. Jlle metuit, ne quid mali eveniat suis, iste ne quid sibi â suis. Status principis duobus conservatur, authoritate & amore. Ipsa gubernandi ratio conciliat stuporem, potentia timorum, virtus amorem.

33. Adsint Regi, qui gubernantem adjuvent, ast imperare nonnisi solus debet. Facilis audiat consulentes, invitus blandientes. Pungunt hi etiam repulsi, & si quandoquè, non nocuerint, nunquam videas profuisse. Consiliis ipse assistat: nam mille dolis expositus est, qui ex solo illo judicat, quod refertur.

34. Qui

34. Qui nimiùm dejectus est, cùm patitur, nimiùm quoquè arrogans est, cùm imperat. Nequit alios gubernare, qui non novit alios sufferre; neque unquam benè præest, qui suspicionibus subest. Tùm solùm securus est de obsequio, quando diffidentia non est in subdito. At qui supervacuâ solicitudine metuquè agitur, an, & quì, quæ imperavit, adimpleantur, næ ille vel populum ineptè recturus est, vel scopum gubernationis ægrè obtenturus; dicendus magis Custos invitorum, quàm Præses liberorum.

35. Quem primæ statim Relationes occupant, aut difficultates dejiciunt, ineptus est gubernando. Magnanimitate opus est, & animo imperterrito, qui nesciat turbari illicò, aut in quamcunquè partem detorqueri. Quidquid allabatur seu boni seu mali, imò illud cujuscunquè ponderis, leve videri debet, & commotione suâ indignum.

36. Studiosè advertendum est Principi in differentiam, quæ in distribuendis præmiis & conferendis munijs intercedit. Præmium respiciat merita, munus habilitatem. Proinde non sunt præmianda servitia officijs, si præmiandum destituat aptitudo: quinimò si duo in idem competunt, quorum alterum merita commendant, falli idoneitas: alteri habilitas suffragatur, a merita desunt, huic tamen præ illo conferendum erit. Consiliarios illos fideliore

cen

censeat, non qui studio placendi ubiquè applaudunt, sed qui quandoquè dissentiunt. Amet vera suader, non arridentia.

37. Eximiæ Præfecturæ non sunt committendæ plebeis, sed Nobilibus, & ingenuè natis. Multùm valet apud omnes, quæ in hominibus est, nascendi felicitas. Securius ab his procuratur Pax, & Justitia Regnorum. Nam qui plurimùm debet sanguini, obstrictum se quoquè sentit virtuti; nequè tàm facilè deest officio suo, & hac & illo stimulante ad gloriam? Attamen munia non excedant fungentium merita, nequè uno impetu evehantur ad maxima, quos nondum exercuerunt minora. Evectio immodica invidiæ prostat: nequè ullos videas graviori censurâ vexari, quàm qui unico saltu evaserunt ad summa.

38. In Consiliariis, aut Regiis Ministris præstat ingenium quietum ac maturum, acri & curioso. Præsumptio non felicitat eventus, nec emendat errores, in quos induxit. Tractanti cum litigiosis, & diversa ambientibus nihil æquè opus est ac patientiâ & moderatione; tùm ut mitiget labores officii, tùm ut imminuat molestias importunitatis. Præcipitare, aut non resolvere, utrumquè extremum est. Minùs tamen peccat impatientia, quàm morositas. Adverte magis, quid suadere deceat; quàm quid possit evenire. Eventus enim non ca-

dunt sub industriam humanam, sed prudentia & recta ratio judicandi. Insistere opinioni suæ pertinacia est, quam perperam constantiam appellâris.

39. Leges Rationi, Magistratus Legibus aptentur. Ubi munia Venalia sunt, nunquam videris res prosperè geri. Pessimum est ab officiis ali, qui officiis funguntur. Habeant stipendia sua, unde vivant, unde videri possint, quod sunt. Sciant autem evecti authoritatem suam, uti initio Præfecturæ licet minima videtur esse maximam, ita successu temporis, quæ maxima fuerit, apparituram uti minimam; dum scilicet primo ad officium accessu humiles, ipso imperandi usu facti fuerint intolerabiles. Nusquam videbis homines tàm insensibiliter turgere, quàm ubi cæperint aliis præesse. Quò submissiùs isti parent, hoc arrogantiùs illi dominantur. Ubi verò in opponentem sese incurrunt, frœnum laxant potestati in obstacula magis ausuræ; sicquè sua diffundunt imperia.

40. Forma Regiminis, ut apta sit, tribus conditionibus constet, oportet. Sit strictum: sit serverum, & constans. Per severitatem non accipe durissimum illud gubernandi genus, quo vel labecula sanguine expiatur: sed serietatem executionis per media rigoris & lenitatis promovendæ. Per strictum intellige Principis munus, ne, quod ipsius

est.

est, divisum sit, aut alteri communicatum imperium. Constantia vult gubernari omnia juxta leges, & veteres mores quocunquè accidente non facilè innovandos.

DECAS V.

41. Timenda est Principi adolescentia sua, præsertim ubi fervor exuperat, & experientia deficit. Ætatem illam maturiori credat, ejusquè consiliis subdat. Sit licet ingenio felix, non fidat. Quo enim illud acrius est aut fœcundius, eò faciliùs; ut bonorum etiam agrorum inculta, inutili segete luxuriant. Ab aliena manu accipienda est sementis, ut feliciter germinet. Mens vivacior suo se igne consumit. Prudentia non solo usu comparatur, præparanda est studio, & præceptis.

42. Nunquam apud suos eo loco sit Princeps, ut necesse habeant vel tacere veritatem, vel amittere gratiam. Amet virtuosos, faciatquè se à virtuosis amari; eosquè liberè versari secum absquè periculò virtutis. Actionibus suis securitatem imperet probis, veridicis libertatem. Adulatoribus pœnam, perversis timorem. Tametsi malus censeri possit, qui solò commodo suo bonus est; Cum ipsa virtus sui pretium sit, & merces: attamen non omittat Princeps benè agere in exemplum aliorum; Ad minùs non appareat malus, ne quis alius se bonum reputet, si malus sit.

43. Instrumentum Justitiæ Lex est, instrumentum innocentiæ Regis exemplum. Legibus refrænatur malitia, exemplo virtus procuratur. Lex ut vi suâ polleat, metus faciat: ut respectu, honestas. Perversos rigor adducit, virtuosis satis est ratio recti. Multùm differt inobedientia â contemptu. Iste respicit Legislatorem, illa Legi opponitur. Qui clam transgreditur Legem, nihil officit Authori; qui palam delinquit, sævit & in hunc, & in ipsam Legem.

44. Leges multitudine vilescunt, curâ observandi stabiliuntur. Quid proderunt contemptæ, aut ob congeriem oblivioni traditæ? Multitudo reverentiæ obstat, & imminutio Majestatis est sancire non observanda. Ad hæc ingens servitus est, vix pedem movere, quin impingas, aut violati edicti reus sis. Momenta omnia ad censoriam virgam referre, onus est intollerabile. Denique ubi multum precipitur, multum delinquitur. Non cumulo leges valent, sed usu. Servatæ populum coërcent: neglectæ scandalo sunt, aut absquè fructu. Si convenit immutari, tempus id statuerit, aut occasio. At nisi intersit Legislatoris, aut Legis ipsius, incorruffæ maneant, tametsi destituantur fine suo. Legem convenientia servat, Ratio non facit.

45. Leges sine obsequio, Magistratus sine honore. Idcirco qui primi transgressi fuerint,

fuerint, exquisitè plectendi sunt, & ad horrorem cæterorum. Qui enim absquè exemplo delinquunt, minùs excusabiles sunt, & magis nocivi. Ingens præjudicium Reipublicæ foret, iis indulgere, qui adeò præjudicant.

46 Nullæ aliæ leges tàm felices sunt, tàm venerabiles, quàm quas Rex gestu promulgat. Edictum frustantur sæpissimè, facta religiosissimè observantur. Civilibus, & in bonum Provinciarum latis Rex ipse obstringitur; & licet sibi ipsi uti Latori obsequi nequeat, subditur tamen Deo, Legiquè naturæ quæ jubet Caput correspodere membris, sibiquè statuere, quod justum aliis censuerit. At verò transgressionis reus, non est obnoxius pœnæ, nec Rempublicam decet advertere in culpas Moderatoris. Solius id Dei est, Regis scilicet Regum, discussuri Principum causas, & pro tempore eorum acerta castigaturi.

47. Non sunt tolerandæ consuetudines, quæ indulgentiâ Principis vim legis obtinuerunt. Faciliuſ abrogâris legem scriptam quam consuetudinem insolitam. Illam revocabis folio papyri, hanc nec longissimo tempote. Arduum est detrahere populo, quod annorum usu contraxit.

48. Nihil æquè felicitat Regem, ac probitas vitæ, & amor proborum. Ejus facta forma sunt vivendi. Exemplo consecrat, quod facit. Mores Regni ejus actionibus

constant. Quis enim credat ausurum punire, quod ipse egerit. Quàm enorme scelus foret, primos aquarum fontes corrumpere, unde potent universi? Quocircà si se, si suos colat Princeps; hoc imprimis noverit, docere se facere malè, si desinat facere benè Otium illi est Schola malè agendi & nisi agat benè, nihil agere censetur.

49. Faciliùs est errare naturam, quàm populum discedere â moribus Principum. Omnis illorum actio aut venerationem pariat, aut timorem. Tametsi enim non subjaceant legi, ipsi tamen Lex viva sunt. Et quemadmodum leges, quas pænales dicimus, metum omnibus imponunt, Eæ verò, quæ gubernationem concernunt, & Politicas vocamus, admirationem; Ita vita Principum perversos populi mores condemnarè debet; Iis verò stuporem incutere qui eorum actiones observant, uti Regulam suarum

50. Princeps bonus (ait Plutarchus) est viva Dei imago, id est optimi, potentissimi sapientissimi. Bonitas efficit, ut nulli non prosit: sapientia, ne deviet: potentia ut exequatur. Ex adverso, Principis mali prototypon dæmon est, In id unum laborans ut noceat omnibus. Ejus potentia, si virtus absit, proruit in omne malum; Si bonitas desit, in tyrannidem; si prudentia, in ruinam, & interitum.

DE-

DECAS VI.

51. Verbum ſuum ita appretiet Princeps, uti creditum *Majeſtatis.* Amiſiſti omnia, ſi fidem amiſeris. Eſt inſtar animæ, quæ non ſolet reverti in corpus, quod deſeruerit. Non utatur Religione in Imperii augmentum, nec fide datâ in propriam utilitatem. Inde enim periclitatur Authoritas, & hac pereunte non ſuppetit dolus aut ars ulla amiſſam recuperandi,

52. Pollicendum eſt tardè, pollicitis ſtandum citiſſimè. Inter ſpatium utriusquè nulla interveniat difficultas. Expendenda ea eſt, antequam ſpondeas. Quis autem dubitet promiſſis Principem alleviari, ſubditum felicitari? Ea tamen iis ſolùm præſtanda ſunt, â quibus ſperes promoveri tua obſequia, & non fruſtrari collata munia.

53. His quoquè duobus inter dat Princeps, quomodo credere debeat, & quî faciat ſibi credi. Primum jubet illum facilem eſſe in aſſentiendo aſſertis, ne ſcilicet Majeſtati præjudicet, multum paſſuræ, ſi præſumi poſſit, eſſe aliquem, qui velit fallere Principem. Non eſt pæna, quæ poſſit eluere mendacium Regi factum. Quòd ſi temeritatis hujus eveniret exemplum, caſtigandum foret ſupplicio tàm novo, tàm exquiſito, cujus memoriam nulla ſæcula obliterarent. Secùs enim Principum Aulæ

erunt officinæ fraudum, delationum, murmuris, & querelarum, quas ambitio solet, invidia, & adulatio progerminare. Alterum exigit asserta ejus tàm esse conjuncta operi, ut practica dici possint, unumquè sit Principem loqui ac facere.

54. Firmitudo veritatis à nullo valet infringi; astutia falsitatis mille ruinis objecta est. Nescit quidem regnare, qui nescit dissimulare; verùm minùs novit regere, qui plus novit fallere. Dissimulare proposita, tegere secreta, occultare intentiones suas prudentiæ est; at callidè fingere, defectus est Potestatis, nævus authoritatis, & argumentum infirmitatis.

55. Per munificentiam Principi accrescit honor, & utilitas. Non potest non illi proficere, quod viderit suis prodesse. Una hæc dominii gloria, una utilitas, dare. Dando lucratur animos omnium, obsequia plurimorum. Largitur uni, & devincit omnes spe paris felicitatis. Nequè lateat, quòd dederit: solent munera nobilitare accipientem. Si miles præmiandus sit, aut eruditus aliquis, donatio notoria sit: si pauper cumulandus, occulta. Illic ostentatio valet, quia præmium est: hic misericordia Secretum poscit. Plus delectetur largiendo, quam sciendo, quæ fuerit largitus. Timeat potiùs minùs dedisse merenti, quàm plus immerenti. Non privet

privet munificentiâ suâ dignos, licet indignus aliquis participârit. Præstat enim malis benè facere propter bonos, quàm bonis detrahere propter malos. Verumtamen non sit effusus in omnes, nec restrictior in aliquos. Meminerit se accepisse, quod tribuit, & obstringere omnes, dum muneratur dignum vel unicum.

56. In munerando consideranda sunt merita, & obsequia. Non qui prætendit, sed qui meretur, præmiari debet. Neque enim ambitio meritum est, nequè prætensio obsequium. Solebant Theodosius, & Valentinianus * rationem meritorum Decretis suis inserere, ut constaret jus esse merentibus in præmia, idemquè, ea non conferre, ac usurpare jus alienum. Nova videbitur, veridica tamen est verborum explicatio; quibusMagni illi Imperatores ** apertè declarant non esse Principibus liberum ex libito dispensare honores, sed determinari ex Justitia per obse-

* *L.eumquè 58.* C *de Decurionib. ibi* Habita considerationе videlicet meritorum *Cap. relatis. 2.testum. 161.* Aliquia juxta servitii meritum conferantur.

** *L. nemo.* C. *de Magist. Offic. ibi.* Ut is gradu cæteros anteceda. quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire. *Ubi notandum est verbum illud:* fecerit.

obsequia merentium; adeoquè illos solùm esse Interpretes, qui jura declarent, aut fideles Ministros, qui quod debent, distribuant.

57. Ubi muniis compensantur obsequia, ad duo advertendum est: Ut per officium satisfiat merenti, & per merentem satisfiat officiò. Illud est debiti, hoc strictissimæ obligationis; nam præmiare promeritum, bonum est particulare; satisfacere muneri, beneficium commune.

58. Dare dandi causâ, animi liberalis est, & Regii; dare, quia alter meruerit, non quia tibi placuerit, multò illo nobilius est. Rarum est exemplum Darii Persarum Regis, qui inter confinia mortis & vitæ constitutus, non jacturam Regni, non captivos cum conjuge filios, sed id unum tristis ingemuit; non potuisse Polistrato reddere beneficium aquæ, quam sitienti porrexerat.

59. Non amabilem solùm, sed & honoratum se reddiderit Princeps, si populo faciat confidentiam indulgentiæ suæ. Vitio datur Antigono, dum petenti Cynico talentum respondit, plus esse, quàm quod Cynicus petere deberet. Petenti verò denarium subjecit denuò, minùs esse, quàm quod Regem deceret dare. *Turpissima cavillatio!* exclamat Seneca, *Invenit quomodo neutrum daret, In denario Regem, in talento Cynicum respexit; cùm posset & denarium*

rium tanquam Cynico dare, & talentum tanquam Rex.

60 Non magnum est Regem magna aggredi, & non exequi Plus ignominiæ adfert, desistere ab eo, quod cæperis, quàm gloriæ pariat inchoasse. Proinde satiùs fuerit mediis intendere quàm fini, magisquè deliberare quì possis, quàm quid actum velis,

DECAS. VII.

61. Ex pace germinare solet felicitas Regnorum, & idcircò bello semper anteponenda est, imò & gloriæ, quæ incerta est, & fortunæ, quæ infida est Infixum sit Principis animo tritum illud: *Concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.* Volvebat hoc assiduò Marcus Agrippa, sequè sibi felicem fecit, gratum & proficuum suis. In inferendo bellum Rex omnibus concedat, in conservando Pacem nemini. Ab aliis discordia initium sumat, à se reconciliatio. Amet potiùs pugnare in vitia, & populum pacificare.

62. Bellum habeat necessitas, pacem voluntas. Non enim est quærenda pax, ut bellum geri possit, sed ferendum bellum, uti medium pacis obtinendæ. Dedecet Christianum Principem fidem datam alligare fortunæ, ac tum solùm jurato fœderi inhærere, cùm sua interest Pax, ut Christiana sit, neque semel rumpenda est, neque

unquam violanda. Ut ut bellum gerere quandoquè necessum sit, nunquam videas gravissimis incommodis carere. Alitur cædibus hominum, substantiâ Regnorum, exactionibus, & tributis populi. Sistit commercia, militem in licentiam accendit, flammis ac vastationibus replet omnia. Quapropter, quantum fas est; aut omninò evitanda sunt, aut tardissimè auspicanda, ac demúm, quia & adversa pars Judex est, multâ cum reflexione intimanda.

63. Quid primùm, quid potiùs expediat, morosè deliberandum est. Vis citò bellum finias, diu ante expende. Fallit eventus, qui fortunæ committitur. Qui timet periculum, non peribit in illo. Præstat tuta timere, quàm de incertis præsumere. Successum rerum nihil ita fortunat, ac præcedens consilium.

64. Auro vincuntur & comparantur omnia, ferro & igne vastantur. Præstat emi victorias nummis, quàm sanguine. In id colligunt Principes thesauros suos, non incursuri avaritiæ notam; sed de providentia commendandi. Aliud enim est providere, aliud corradere, illud laudabile, hoc ubiquè vitiosum, Convenit per media licita vires Imperii augmentari & per generosos ausus Provinciarum emolumenta; ast inter principia augendi ærarii prima sit moderatio luxus: ex hoc enim ma-

malo omnia scaturiunt tàm indigna Principe, quàm populo infesta. Nihil sic vires auget Regnorum, ac temperantia vivendi: inde innocentissimè fiscus crescit, inde opes non tàm accipiendo collegeris, quàm non prodigendo,

65. Potestate optimè utitur, qui moderate. *Uti* omni, quâ polles, præsertim in exigendis oneribus, abuti est. Est quidem penes Regem jus imponendi, nequè in hoc dependet ab arbitrio populi; verùm hoc invito vim omnem potestatis velle exercere, res est plena periculi. Sinat Princeps, ut subditi librent vires suas, advertant necessitates publicas, hasquè illis componendo adigantur, non opprimantur. Onus, cui se unus subduxerit, non benè aliis imponitur. Præstat moderatis gravare omnes, quàm immodicis paucos. Mediocria durant, & tametsi necessitas urgeat, tutiùs est res alias colligi, quàm nummos.

66. Hostis & occasio nunquam contemnenda sunt. Neglectus, incuria, & nimia præfidentia scaturigines sunt omnis infortunii Ignorat conditionem suam, qui, quocunquè statu sit, se existimat securum. Tantò minùs durum est, in bello vi, quàm dolo vincaris, quantò minùs acerbum, destitui viribus, & ingenio superari.

67. Non deponit animum proditoris, qui non deserit media defensionis. Castella

in confiniis faciem obvertunt hosti, intra Regnum minantur Domino. Assecuret se Princeps de extraneis, sed & priùs subiiciat sibi suos. Sæpè ut discrimen evitet â vicino, committit se fidei Chiliarchi, qui si indecorum reputet cum hoste de urbe pacisci, non inutile duxerît aut illicitum tradere eam sibi. Cum munimentis & arcibus non est par periculum; ornant Provincias, & tuentur.

68. Temeritas belli exitum reddit ancipitem; ast inde adhuc periculum majus, posse evenire malè, & nescire prævertere. Si causa te impellit, fuge illam, quæ tardaverit: dum latet & non sese detegit, cave audere aliquid. Plurimas sibi solet ambitio fingere, prætexit justitiam, aggerit injurias, probat malitiam adversarii jure vindicandam. Habet hoc dominandi libido, vindictam induit veste justitiæ; ut videatur justè petere, quod superbè solet ambire.

69 Universam Regni potentiam in discrimen adducere, tametsi initium faveat, nunquam prosperè evenerit; præsertim, ubi certum non est magno fænore periculum redimi. Confligendum est, non quia occasio se offert, sed quia sic expedit. Æquè generosum est, sæpè utilius, ordinatè recedere, quàm præfervidè præliari. In primo conflictu victoria è vulneribus nascitur, in cæteris ex utilitate. Advertere solùm ut vin-

vincas, fortitudinis est: ut viceris, authoritatis. Qui vicerit semel, credit se denuò victurum, ideò semper ambit confligere: qui autem metuit vinci, jam prælio nondum cæpto semivictus est. Plures Exercitus stravit præfidentia, quàm hostium virtus. Multum præstat, si se defenderit, qui timet superari.

70. Duo sunt, quæ militem in seditiones cogunt: nimia Tribunorum severitas, & immodicus gregariorum labor, nisi is insuetâ mercede præmietur. Hoc excitavit Legiones inferioris Germaniæ Tiberii tempore, invitas aut jugum pati, aut Tyrannum. Ast sedandi hos tumultus ars optima, tollere Authores, aut devincire. Sic composito Exercitu audendum est in hostes, eoquè intentis animis reliqua diffluet conjurationis moles.

DECAS VIII.

71. Præter Virtutem, ac benè gubernandi Voluntatem polleat Princeps notitiâ eventuum, qui in humanis evenire possunt; imò & sæpiùs volvat consilia Providentiæ Divinæ, cui Regnorum moles innititur. Noverit se á Deo magis curari, ac cæteros. Pari ille zelo fertur in Vicarios suæ Providentiæ, ac Rex in Regnorum.

72. Nihil decantatum magis in Divinis literis, quàm Regna ob peccata castigari. Jam videas ea plecti ob delicta Regum &

Regni, jam Regni in Rege, jam Regis in Regno. Auferat proinde Rex iniquitates suas atquè unà procuret auferri in populo: nam ex utrisquè periclitatur

73. Dissimulat aliquando Deus punire peccata, impunitatem vix unquam. Videas Regna turbari, deficere, interire, non quòd plurimi sint, qui delinquant, sed quòd rarus plectatur. Plus damni affert impunitas, quâm malitia.

74. Minùs exactè fiunt quæ alienis oculis committuntur. Expedit Regem propriis videre, & quæ aguntur, discernere, * *Miserrimum est Regnum* (inquit ille) *ubi Princeps audiatur dicere: Prospice accuratè rebus omnibus, & adverte, ut aptè fiant. Fac quod judicaveris magis expedire. Hæc tuæ curæ commissa sunt.* Non satis est, Princeps aliis Solicitudinem imponat; ipse qnoquè laboret necesse est; inquirat, insistat faciendis, & de factis rationem exigat.

75. Ruina Regnorum his procurari solet: ambitione gubernantium, prodigalitate aut avaritiâ, crudelitate aut nimiâ indulgentiâ, seditione, neglectu Divinorum, & Status Ecclesiastici contemptu. Hi sunt scopuli, quibus impacta solvitur Reipublicæ ratis.

76. Ubi dignitates venales sunt, & officia prostant, ille plus offeret, qui appetētior est,

* *Idæa consiliarii in præfat.*

eſt. Verùm ideò plus offeret, ut deinde plus auferat, redempturus pretium emptionis fœnore receptionis.

77. Uti Virtus in nobiliore eminentior eſt, ita & lapſus gravior. Sapiens nunquam leviter errat, nec procerus facilè corruit, quin ſe afflixerit. Quò remotior eſt ab imo, eò fortiùs alliditur.

78. Non ſufficit fontem limpidum eſſe, ſi canalem luto infeceris: Ita ſatis non eſt Principem virtute fulgere, niſi & Miniſtri vitiis careant, Non Regis duntaxat exemplo populus regitur, ſed Miniſtrorum illi aſſiſtentium; â quorum conſortio non eſt immunis Princeps, quin poſſit infici ac depravari.

79. Dubius ſemper eſt bellorum exitus; videris tamen ut plurimùm bonam cauſam in fine triumphare. Bellum malo ex fine ſuſceptum ſolet & finiri exitu infelici.

80. Ubi bellum movendum eſt, fugiat Princeps conſilia conjugis, quæ nimirum experientia docuit ſemper improſperè evenire. Penè ſemper mulierem ambitio incitat, ſuperbia urget, vindicta impellit. Ottocarum ambitio uxoris ad arma coëgit, per arma in interitum. Paryſatis Artaxerxem committit Mnemoni & Cyro minori, utrumque infelici exitu.

DECAS IX

81. Oppressione populi transferuntur Regna. Idcircò dicebat Licurgus, in Republica plus timendos pauperes ac egentes, quàm divites & fastuosos. *Terrifica* sunt consilia, quæ necessitas imponit. Hinc meritò Silius: *Est deforme malum, & sceleri proclivis egestas.*

82. Perspecta sint Principi subjectorum suorum ingenia, quæ pro Regionum diversitate solent quoquè esse diversa. Non enim sine causa Ulpianus statuit, ut mancipia, cùm venderentur, edicerent, unde forent oriunda.

83. Qui oves palabundas versus Austrum minaverit, reperiet eas lanâ destitui; vinum verò, quod in Septentrionem ducitur, purificari. Politici idem observant in mi[illegible], Exercitus, qui in Orientem ducitur, roboratur; dum in meridiem abit, infirmari solet.

84. Quædam ingenia sunt instar plantarum; inserta terræ alienæ meliorantur. Extranei quoquè non semel profuerunt Reipublicæ gerendæ. Vidit hoc ætas nostra,

85. Infelicem dicebat Gordianus Principem, quem Veritas latuerit. Ostendat semel placuisse, nemo tacebit: displiceat? quisquè verebitur, & auscultantem fraudibus involvet. Ita mille mendaciis obrutus, quid verum sit ignorabit, & si fors audierit, non adhibebit Fidem.

86. Au-

86. Authoritas Regia firmat Majestatem, & eximiam reddit. Plus eâ Princeps in subditos valet, ac potestate, armis, aut suppliciis. Verum illa non est opus potentiæ humanæ, sed muneris Divini.

87. Illi autem conciliandæ tria concurrunt: Virtus, felicitas, & propensio animorum; Hanc DEUS indit cordibus subjectorum: illius nemo Dominus est: Virtus quoquè Deo adjutore indiget.

88. Non pauci Principum, dum sævitiâ procurant authoritatem, amisère. Politici donum Dei appellant, quod nimirum affectu magis, quàm vi obtinueris.

89. Respublica illa occasui proxima est, in qua Leges vilescunt, & Magistratus non honoratur. Sublato hujus respectu, & illarum vigore quid superest, nisi dissolutio & interitus

90. Inhonestas sævitiâ longè damnosior est principi. Illa horribilem reddit, hæc insuper contemptibilem. Crudelitas horrorem incutit, libido audaciam præbet. Cùm enim libidinosos passim credamus timidos & ignavos, si quis Principem voluptuosum viderit, deposito metu audebit in exemplum.

DECAS X.

91. Egestas solet obnubere vitia, felicitas detegere. Adverte metamorphosim, quam Principis odium aut favor efficit. Vix il-

lum prælibavit aliquis, quàm subitò mutatus ab illo est! Nempe magnam fortunam debilis stomachus non digerit, & forsitan facilius est odientem ferre, quàm blandientem. Videat proinde Princeps, ne, quem extulerit, efferendo dejiciat.

92. Interest quoquè Principis scire, in quo sita sit ejus felicitas. Malè Thales eam adscripsit illi, qui annis maturus in lectulo suo occumbit. Minùs erravit Solon, dicendo Regem felicem fore, si Monarchiam democraticè gubernaret. Breviùs Anacharsis: si sapiens esset. Acutè Pitacus; si subditi timerent non ipsum, sed ipsi, & pro ipso, aut pro eo, quod illum contingit. Socrates verò: si nosset imperare sibi. Nequè multùm aberravit Henricus IV. Hispanus, asserens, tunc fore Regem felicissimum, si sua Regna felicitaret.

93. Qui omnibus prodigit: brevì mendicabit. Æstimet Princeps servitia suorum, sed non vilipendat remunerationes suas. Gratias conferat cum delectu, misericordiam sine discrimine.

94. Prodromus est non levis calamitatis, cùm è Republica tolli videas viros consilio, justitiâ, zelo, & arte militari insignes: ita magni politici prognosticantur. Et verò ruentibus colossis quis credat reliquam ædificii molem perstituram?

95. Magna Imperia plus habent, quod

po-

metuant à magnitudine propria, quàm ab hostibus alienis. Raró intereunt nisi bello civili, aut intestinis dissidiis. Plus periculi imminet â seditione unius Provinciæ, quàm ab universa potentia alterius Monarchiæ.

96. Audacter Hesiodus dicebat, non esse fidendum ulli, ne quidem proprio fratri. Molliùs forsan ista sumenda sunt. Principi tamen consulendum videtur, ne fidat absquè delectu, nec diffidat cum temeritate.

97. Ad ritè capiendum consilium duo vitanda sunt: Ira, & præcipitantia. Illa involvit, ista provolvit. Qui nimiùm accelerat, festinat pœnitere. Benè Augustus: *Sat cito, si sat benè.*

98. Verissimè pronunciavit Ennius, infirmam mentem semper errare. Quid irâ debilius? Nam veluti, qui captus est oculis, nequit distinguere atrum ab albo, ita qui irascitur, ignorat quid potiùs conveniat. Dissipanda est per moras brevis insania.

99 Quos atræ bili natura subjecit, aut lento phlegmati, consiliis ineptiores sunt. Illos videas plerumquè apprehensivos esse, invidos, suspiciosos: istos languidos, socordes, & desidiosos.

100. Censebant Sapientûm nonnulli, Principi plus mali obvenire posse â domo propria; quàm ab hostibus externis. Ita sibi persuasit Antigonus, dum orabat: servaret illum

illum Deus ab hostibus & familiaribus. Rogatus cur non potius peteret servari ab hostibus solis; reposuit: *illum, qui palam adversatur, cavendo facilè evitare possum? ast ab eo, qui latet sub specie amici, quis me nisi Numen præservet?* Non sunt occultiores insidiæ, quàm quas construit Adulator ambitiosus, & invidus.

DICTAMINA PRUDENTIÆ.

DECAS. I.

Optimus Prudentiæ Magister experientia est: nullam artem minori sumptu addidiceris. Quid faciliùs, quàm sapere insaniâ? Ut aptè rebus utaris, occasio facit. Sapiens eam prospicit, antequam adsit, stultus post tergum respicit, ubi transierit.

2. Princeps Prudentiæ ratio est, non præsentibus solùm intendere, sed futuris. Oculos Lyncium referunt penetrare muros. Certius est, prudentis aciem penetrare omnia tempora: recordatur præteriti, operatur in præsenti, & futura disponit.

3. Qui cupit doceri prudentiam absque Magistro, arguat se in eo, in quo alios reprehendit. Seipsum docet, qui alienos nævos objecerit sibi.

4. Amus-

4. Amussis actionum tuarum Ratio sit. Nulli benè feceris, quia amas; nullum punieris, quia odisti. Iratus neminem castiga: gaudio perfusus abstine largiri; non quòd largiendum non sit cum hilaritate sed quòd non deceat propter illam.

5. Feliciùs evenit, quod prudentiâ dictante, quâm quod ex confidentia fortunæ suscipitur. Melior est dubius eventus cum maturò consilio, quàm felix cum temeritate.

6. Secretum clavis est cordis. Frustra quereris pervenisse ad omnes, quod non poteras uni subticere, Quod volueris plures ignorare, illud dixeris omninò nulli. Quî potes alterum ad secretum obstringere? qui per eandem cofidentiam, quâ silentium imponis, violas?

7. Fatuus, dum silet, sapientem simulat; sapiens autem tacendo confirmat se esse. Lingua parca augurium est largæ mentis. Nihil periculosum minùs, nec honorificum magis, quàm temperantia linguæ; uti ex adverso nihil periculosum magis, & honorificum minùs ac verborum abundantia.

8. Noli confidere alteri, quod nondum certum est tibi. Si res potentem tangat aut prædivitem, quod in aurem murmuraveris, credito divulgandum per orbem universum. Assentator enim divinat de inter-

nis,

nis, & quasi jam factum judicat, quod vix cœpisti cogitare.

9. Proficuè errat, qui benè loquitur de omnibus, nequè censeri potest adulatio [pestis humanæ conversationis] quando non potentes solùm, sed & illos commendamus, quos fortuna despexerit.

10 Lingua bona hoc fœnore gaudet, ut de ipsa loquantur omnes benè, quæ de nullo novit loqui malè.

DECAS II.

11. Affectant aliqui prudentiam, irascendo singulis, & critizando, quæ alii probârint. Parum amiseris commendando, quod alter appretiat, & minus periculi subis laudando res vaniculi, quàm ipsum vanùm.

12. Intempestivè se arguit, qui præmaturè studet placere, Lepidum quoquè est, condemnare se, ubi nemo accusator est Non quæsitus tace: cùm rogâris, tùm primùm respondendum est. Accusationem si certam nosti, expedit dextrè prævenire. dubiam aut nullam negligere; ne scilicet à seipsa vires accipiat damno tuo.

13. Præstat injuriantem pati, quàm adulantem. Quis enim te majori injuriâ lædit, quàm qui fallit, & sano judicio privat? Utriusquè aures obturandæ sunt, adulantibus tibi, & calumniantibus alios.

14. Injurias â potentibus illatas accipe uti exemptas: nequè enim adversus illas

conqueri potes, & si potes, non convenit. Pateat semper accessus, ut te ament, quibus indigueris.

15. Insipiens est illa Ratio Statûs, malum malo ideò refundendum esse, ut alii timeant idem experiri, qui idem perpetrarint. Hoc est palliare vindictam specie præventionis. Et verò utro magis conciliabis amicos, metu, an benevolentia?

16. Periculosum est lædenti veniam differre, ne dicam, negare. Desperatio enim audaciam gignit, & qui in modico offendit, quasi semper hostis futurus colligit iram, roboratquè se complicibus in ictum graviorem. Depositum semel ruborem aut respectum non facilè restitueris.

17. Fallenti semel, qui se confiderit, non habet ubi damnum excuset: ipse sui mali author est. Verùm dissimulanda est diffidentia, ne fallentis malitiam acuas, novasquè vires subministres, vindicandi se jam in diffidentem, qui priùs fefellerat confidentem.

18. Usus hominis bonum opus; usus linguæ, verba. At his fidem non obliges, nisi opus te convincat. Abstinent multi loqui malè, sed & negligunt operari benè. Divinanda est adulatio, & experimentis probanda, ac tùm demùm solvenda fides cùm operibus exigitur.

19. Potentem, aut in sublimi positum ca-

veas offendere: loco illi exemptio debetur, Sed nequè amicum ipsius: quin & hunc minùs. Plus enim irritatur animus ex injuria, quæ amico infertur, ac ex damno, quod irrogatur sibi. Ingenuus satisfacit sibi potentiâ vindicandi; at pro amico in ipsam vindictam accenditur. Usus enim potestatis, qui in causa propria videbatur debilitas, in aliena debitum dilectionis.

20. Sumptuosa est injuria, quæ potenti infertur, Minimam molestiam non refuderis mille obsequiis. Unusquisquè enim honorem sibi debitum censet, tamquè ambit suspici, quàm horret contemni. Unica injuriola plus confert ad iram, quàm multa blandimenta ad amorem.

DECAS III.

21. Ars magna vivendi est, nosse pati. Huic fundamento Virtus inædificatur. Nemo magnus evadit, nisi tolerando. Plus æstimo hostem ferre, quàm aggredi.

22. Genus victoriæ præstantissimum est, seipsum vincere. Principes alienâ manu victores fiunt; vincere seipsum est opus virtutis propriæ.

23. Inferre injuriam etiam vilissimus potest, tolerare non nisi magnanimus. Nihil æquè facilè, ac malum inferre: nihil æquè difficile, ac sufferre.

24. Geminat vires inimico, qui invitus est pati: dum se offensum queritur, dece-

unde offendi possit, ac ratione quadam provocat. Nam sicut qui benefacit, amat illum, cui benefecerit; sic qui offendit, offensum solet odisse.

2. Ut ames, omnes boni sunt, ut oderis, nullus. In consortium adhibendi non nisi boni: in amicitiam veram, animæquè, licet unus sufficiat, vix tamen illum repereris. Non benefaciendo solùm amicos facis, facis & mala sustinendo,

26. Malus, dum se fingit bonum, pessimus est. At fictio non perdurat: ferendo larvam detrahes. Expectatio vicem rationis subit, & tempus aperit, quod ingenium non comprehendit.

27. Amicos lauda in publico, reprehende in occulto. Vitia illius tua facis, si dissimulas. Inter plurima, quæ Domitianus male egit, unicum dixit benè: *Irrîtat querulum, qui non corrigit.*

28. Nummus mancipium est scientis uti, Dominus ignorantis: Sapiens aurum honestet, sapientem usus. Plurimum accipit, qui dat indigenti: nam misericordia fœnebris est magis danti, quàm accipienti.

29. Postulanti citò occurre, mora beneficium imminuit, velocitas geminat. Saltem minùs fallit, qui citò negârit,

30. Obest multis indigentibus ingratus unus. Actu unico peccat multipliciter, Causat non dari ab uno, â multis non accipi.

Ibi sistit beneficentiam, hìc auget egestatem.

DECAS IV.

31. Liberali eadem sors est cum seminante. Aliud ventus aufert, & dissipat: aliud aves devorant, & in fimum vertitur. At quod in terram bonam ceciderit, reddet fructum cum fœnore in tempore suo.

32 Largiens cùm opes affluunt, recipiet, cùm defluxerint. Duplicat donum, qui erogat non reddituro. Cunctos obstringit, qui merenti tribuit, neminem, qui immerenti nam hic ingratus erit, cæteri infensi.

33. Qui nihil erogat, depositarius est sui hæredis. Hic planget defunctum, & ridebit defungi. Commune quidem, sed ingens monstrum est, senex avarus. Par huic opulentus, qui pluribus inhiat; ejus cupiditas est blandiens egestas.

34. Malè negaveris alteri, quod ipse aliquando petiturus es; nequè bene expetieris, quod eras negaturus. Justitia non est neganda poscenti, nequè misericordia merenti.

35. Delicata res est, beneficium perdidisse. Satis est dati meminisse, satis pœnituisse. At imprudens est, quem pœnitet. Bis enim perdit quod dedit: rem datam, cùm alienat, & donum, cùm meminit se dedisse. Quin salvum ex illo est, quod optimum: dedisse.

36. Mavelis ſemper dare, quàm accipere. Illud eſt obſtringere alterum, & effici Dominum; hoc eſt obſtringi, & fieri mancipium. Dans beneficium vincit, accipiens vincitur. Quæ erogaſti, noli vulgare, nedonum vertas in injuriam. Quæ autem accepiſti, liberè annuntiā, & gratis gratus eris.

37. Penè idem eſt, ingratum eſſe, ac queri de beneficio non accepto. Nam hic non uſum liberalitatis interpretatur injuſtitiam & quod potuit accipere, credit debuiſſe erogari. Hoc autem eſt confundere uſum Juſtitiæ cum uſu liberalitatis, debitum liberali affingere, ut gratitudinem excuſes.

38. Qui dederit ſæpiùs, non ſe obſtringit ad largiendum ſemper: potiùs acquirit jus ad negandum aliquando, ſi vel ſemel donum amiſerit. Verùm qui ſemel accipit, non acquirit per hoc actionem ad petendum ſæpiùs.

39. Ingratitudo res eſt uſitatiſſima. Memoria beneficii cum Sole occumbit; raró ultra extenditur. Solent magna beneficia magnis injuriis extingui. Credunt enim ſe abſolvi onerè gratitudinis, quibus fides tollitur enormitate injuriæ ſuccedentis.

40. Ex favore potentis noli præſumere, neque fidito affectui ipſius Alienis alis nemo Icarus promovet volatum. Etiam in magnis fortuna variabilis eſt; tametſi illa

perstet, mutari tamen potest conditio, & affectus.

DECAS V.

41. Si te illustret Potentiorum felicitas, imprudenter egeris opponendo te Soli, & obumbrando alios, præjudicio tuo. Memento Solem quotidie oriri & occumbere, neque sapientis esse, unius benevolentiam aucupari, ut hostis sis plurimorum.

42. Gratia Principis servire non debet, ut cuipiam sit malè, sed ut omnibus benè. Ita favore ejus utere, ut omnes illum existiment suum, ut gaudeant se amare, quem Rex coluerit.

43. Quod si favor ille non pateat omnibus, sic utere, ut alius ignoret. Ubi semel in publicum venerit, jam juris est communis. Neque tunc indignari licet postulatis aliorum, aut te ab intercessione subtrahere licet effectum suum non consecutura. Suppleat desiderium auxiliandi, impossibilitatem auxilii, quæ nimirum non consuevit nisi neganti imputari.

44. Qui architectatur festinanter, periclitatur de fabrica; & quod citò conficitur, citò quoq; destruitur. Tametsi favores affluant, non properes exaltari. Ascensus enim præproperus augurium est casûs.

45. Ama mediocritatem, quæ securior est à periculis, & liberior à damnis. Magna felicitas sibi ipsi onerosa est. Elatæ tur-

res fulminibus proſtant, humiles caſas demiſſio præſervat. Corpora ſaniora prima ægritudo proſternit

46. Inter humanos affectus nullus æquè metuendus ac ſpei, inter homines ipſos, nullus magis ac meticuloſus. Quid ſpe humanâ fallacius? quid periculis obnoxium magis? Magnificat diſsita fallaci vitro, & quia parum callida eſt, ludit ac luditur nunquam eventuris. Velut guloſa puella acerba præripit poma, & dum fruitur, acerbitudine laborat.

47. Nulli quoquè timendi magis, ac timidi: dolis enim ſupplent virium defectum, & quod nequeunt animo, præſtant inſidiis. Minùs periculi habet hoſtilitas aperta, quàm dolus occultus.

48. Timidi viles ſunt animo, ſuſpicioſi, creduli, crudeles, ſemper intenti periculis præcavendis, etiam ubi non ſunt: inde mille ſuſpicionibus obnoxii, quæ uti non fundantur in veritate rei, ſed debilitate animi, ita conſueverunt eſſe falſiſſimæ. Quia tamen æſtimantur ut veræ, odium concitant in inſontes: hoc autem ſuadet vindictam, aut atrocius aliquid in periculi, quod metuunt, averſionem; & quia animus deeſt, armantur inſidiis. Demum ut ſecuros ſe reddant, evertunt omnia, ſemper timentes, niſi proſtratos videant, quos timuerint. Penè prodigos dixerim,

rim, cùm tantis impendiis emant securitatem.

49. Non minus metuendus est, qui metuit egenus esse. Nam avaritia magistra est crudelitatis, & quod deest virium, supplet nequitiâ: imò atrocior est, cùm infirmior.

50. Ubi nihil speres, nihil quoquè est, quod metuas. Malum absquè remedio, timere omnia absquè discrimine. Qui ad omnem motum pavescit, ante necessitatem angitur, ultra necessitatem affligitur. Quod si in se redux non collegerit vires, cassa quoquè erit omnis præventio.

DECAS VI

51. Si semper memineris te hominem esse, calamitates non videbuntur insolitæ; & si respexeris ad alienas, credes tuas esse minores. Decrescunt magna, comparatione majorum.

52. Interest, quâ parte res apprehendas: inde tutiùs est, unde te non urant. Pauci infelices sunt, nisi comparatione feliciorum. Infelicitas si communis sit omnibus, aut solatur, aut non affligit. Miseria, quam in altero majorem vides, nomen infortunii amittit.

53. Quid venaris in campo alieno? domi tuæ habes, unde gaudeas, unde beatus sis. Corpus animusquè ritè dispositus optimum est lætitiæ condimentum. Cibum fames obsonat, non aroma.

54. Tem-

54. Temperantia dulcia dulcorat magis, gustumquè irritat. Amara est omnis voluptas, quæ non conditur licito: intrita cum virtute dulcissima est. Conscientiâ bonâ dulcescunt adversa omnia.

55. Nemo hostis tàm vilis, qui timendus non sit. Quin quò vilior, eo promptior ad nocendum. Volenti obesse, aut nolenti annuere, nunquam color deest. Pericula contempta revertuntur citissimè.

56. Lucrosa distractio est bonum consortium: malo Virtus corrumpitur, & orbatur fide ac luce sua. Consilium bonum dirigit, exemplum animat. Utrumquè in bonis reperire est: docent bona, & alliciunt. In Perversis contrarium habetur: malè suadendo perdunt, & malè agendo ruborem tollunt. Inter plures malos facilè est periclitari aliquem bonum.

57. Multas injurias dissimulatio sepelit Earum non ille solùm causa est, qui infert ex odio, sed qui accipit cum imprudentia.

58. Non videri sensisse injuriam, innocens est vindicta. Lædens intendit affligere, læsus autem dissimulando vicem reddit, frustrans spe pessimum offensorem, & torquens in malitia sua.

59. In rerum eventibus non expedit commoveri; saltem sensum ne monstraveris. Si adversum quid est, dissimula, ne hosti

hoſti gaudium parias; ſi ſors proſpera, non plaude, ne ambitioſum irrites.

60: Ibi miles urbem aggreditur, ubi debilior eſt. Cur te detegis hoſti tuo, ubi infirmus es, ubi feriri potes? Prudentis eſt ſenſum tegere, ne quis noverit, ubi poſſis vulnerari.

DECAS. VII

61. Ut alterum poſſideas, affectibus ejus invigila. Hac portâ muros ſubibis, & animum occupabis. Artis eſt noſſe placere, & forſitan non minoris felicitatis, modò aſſentatio abſit.

62. Moroſè negotia auſpicanda ſunt, finienda celeriter. Ut bellum citò abſolvas, & auſpicatè, plurima obſervanda ſunt. Dimidium facti habet, qui maturè prævolverit.

63 Stultum eſt exiſtimationem, ne perdas, deperire. Hoc accidit, cum eam verbis defendimus: quibus ſi paſſio acceſſerit, etiamſi ratio ſubſit, facilè excedimus, amittentes plus authoritatis defendendo illam, quàm hoſtis impugnando.

64. Invidia eſt tinea fortunæ. At duobus modis præſtat invido, qui invidiam patitur. Hoc enim turpiſſimum vitium eſt, illud periculum honoratum.

65: Nihil magis inimicum homini, ac alter homo. Valentiſſimum eſt hoc invidiæ virus: ubi inſederit, non admittit antido-

tum,

rum. Plures hostes negotiatur æmulatio, quàm injuria: invidia autem medium non habet: semper nocentissima est; solùm prodest cùm virtutem impedit.

66. Passionibus irretito credendum est parum: alieno â lucris & munerum corruptione, plurimùm: invidioso nihil.

67. Plus amittitur in turpi lucro, quàm honesto damno. Hoc affligimur semel, illius semper pœnitet.

68. Non judices te plus ditari, si opes, quàm si honor, accrescat. Semper famæ, quàm nummi dignior est cura. Cum infamia ditescere, pessima jactura. Bonum nomen ingens patrimonium.

69. Nuspiam in hoc mundo securè agitur. Malus semper metuit Leges, bonus semper fortunam. Nam hujus ira bonis etiam infesta est; illarum pæna solùm insequitur malos. Securissima mora est, quæ in eo, quod convenit, deliberando insumitur.

70. Ad evitanda vitæ discrimina plus conducunt consilia, quàm vires. Pejus est nescire vivere, quàm non posse. Plus laborandum est, sortem bonam ut serves, quàm ut invenias.

DECAS VIII.

71. Sta verbis, tuis, & quod pollicitus es, non infringe. Fide enim semel amissa nihil superest, quod amitti possit. Assue-

tudi-

tudine jurandi periclitaris de fide: vocas enim in dubium, quod verum est. Qui non amat vera audire, nec consueverit vera loqui. Adulatio vitium est sui tenax, & expers emendari.

72. Credere omnibus aut credere nulli, utrumquè vitiosum est. Primum plus habet urbanitatis, alterum plus securitatis.

73. Parum veritatis inest illi, qui agit, quod in aliis condemnat. Nequè minùs fallit, qui aliud, quam quod loquitur, agit; quàm qui aliud, quam quod loquitur, sentit. Ille decipit alterum, iste fallitur à seipso

74. Neminem odio habueris; quia deliquit Insanum est peccare aversando peccantem. Nunquid enim rationi adversatur, perdere innocentiam; quia alius eam non conservârit? Non sunt delictis delicta castiganda.

75. Si ipse vitiosus es. cur non condonas tibi simili? si autem desiisti esse, da moram, ut & in hoc alius assimiletur tibi.

76. Illum, qui citó judicat, citò pænitet judicasse. Quemadmodum in cursu haud benè observas, quæ transeundo vides; ita qui censuram præcipitat, indicat se malè advertisse.

77. Cum omnibus pacem habeto, cum vitiis bellum. Præ cæteris autem procura tecum ipso concordiam, id est, ut cogitatis con-

consentiant verba, verbis opera, operibus voluntas.

78. Cùm rerum eventus nequeant aptari votis nostris, aptanda sunt vota eventibus, eorumquè moderatione præoccupandus dolor, quo gravamur. Imprudentia est, quod longè abest, vel omninò abest, effli-ctim concupiscere, & quod ad manus est, negligere.

79. Servire tempori, munus est honoratum, imò & Regium: servire, quia cogeris, mancipii: servire, quia sponte vis, ingenui.

80. Time magis conscientiam, quàm famam. Optima sors felicissimi est innocentia, nequè laus ulla major, quàm meruisse laudari. Interest non quis videaris, sed quis sis. Quid juvat te commendari, in quo conscientia te damnat?

DECAS IX.

81. *Magnæ* pollicitationes jure solent esse suspectæ: qui illas offert, cùm ægrè queat præstare, aut decipit alios, aut si seipsum non fallit, stultè obstringit. Grandia dona plus amant dari, quàm promitti. Satius autem est grandia præstare, quàm spondere. Age quod spoponderis; non spondeas, quod forsitan acturus non es.

82. Verè dicitur communi adagio: *Qui citò dat, bis dat.* Muneris pretium voluntas est, & hæc celeritate constat. Offen-

ſam excedant benefacta, & beneficia gratitudo.

83. Feliciter errat, qui corrigentem habet. Carent hoc dono feliciores; nequè Socrates in Principibus reperit. Plebeios deliciæ non obruunt: plus curant, ut vivant, quàm ut voluptuosè vivant; atquè ideò facilè corriguntur, aut legum fræno continentur. Totum hoc alienum eſt à Principe; cum paucis agit, & hi non loquuntur niſi placentia, aut non excitantia ſenſum.

84. Non ſunt diſpenſanda imperia cum poteſtate Dominantis, ſed in manſuetudine Patris. Naturâ ſuâ ſujectio gravis eſt, atquè ideò mitiganda affabilitate imperantis.

85. In conſiliis audiendi ſunt omnes, ſed quod rectum eſt, ſtatuendum. Quod ſtatueris, non exequere per eos, qui non probârint. Turpe eſt errare in idipſum: nam & bruta primus caſus cautiora reddit. Qui diſſentit ſtatuendis, non promovebit ſtatuta.

86. Conſilium, quod voto tuo arriſerit, ſuſpectum habe, & timeas exequi. Nam vel imprudentiæ arguêris, quod malè cœperis, vel inconſtantiæ, non continuando, quod inchoâris.

87. Conſilium prudentius eſt, quod ſecurum: opportunum, quod expeditius: quod facile, acceptabilius; optimum quod includit hæc omnia. Id innuebat Aſclepiades,

des, probabatque Cornelius Celsus; asserens *Medicorum* esse, mederi cum securitate, cum brevitate, cum voluptate.

88. 'Nostro sæpè ineptimus judicio; idcircò sensui tuo ne nimium adhæseris: sic enim quilibet, ne te offendat, sinet errare.

89. Solon scissâ in partes Republicâ neutri dicebat adhærendum. Non æquè id tutum est, cùm duo potentiores dissederint. Nam Pace reducta unus oblivìscetur obsequii, alter meminerit injuriæ, quâ se credet impetitum. *Evenire* hujusmodi, quod vespertillionibus, solet: avium muriumque induti formam ab utrisque patiuntur. Ita & illi fugiendo discrimen, incurrunt. Quanquam nequè ipsum periculum vincere expers est periculi. Felix malum, in quod virtuosus incurrit! nequè ulla est tanta felicitas, quàm non infestent mortalium querelæ.

90. Crudelitati, multa cum inhonestate societas est. Mens humana habitare non solet in domo subdita affectibus ferinis.

DECAS X.

91. Luxum vestium optimè dixeris inscriptionem vanitatis. Insipiens est, qui facit impensas, ut vanus censeatur: se depauperat, ut credatur dives.

92. Duobus malis subjacet ambitio: redditur odiosa, & fit infelix. Raro evenit prosperè, si quis contendit Domino suo æquari.

93. Admodum pretiosa rarò prosunt possessori, & quod multis arridet, ægrè potest retineri.

94. Cum arte solet punire Justitia Divina: æquat pænam culpæ, & per ipsa peccati instrumenta corripit delinquentem. Prudentiorum observatio est, illos, qui in juventute damnandâ licentiâ Ligatas depravant, deinceps talionem experiri in suis, & vel successione destitui, vel pessimâ, & non victurâ prole castigari.

95. Interitum Regnorum non tàm efficit copia criminum, quâm impunitas delinquentium: quando scilicet neglectâ justitiâ viget consuetudo peccandi, & ipse Magistratus peccat non puniendo, complex criminis, & reus omissionis.

96. Minùs officit immodicus rigor, quàm nimia remissio; nequè tyrannis tàm nociva est, uti projecta licentia. *Ubi Magistratus non advertit in scelera populi, ibi Deus castigat populum & Magistratum.* Indulgendo namquè nocentibus injuriantur probi, & non puniisse crimina, approbasse est. Severitas enim proxima est bono Justitiæ.

97. Reverentia Legum, & respectus Superiorum Palladium est Reipublicæ; huic innititur ejus securitas. Augurare Regni interitum, ubi videris Magistratum contemni. Ibi enim nequè legibus vis est, nequè honor

honor imperatis, nequè authoritas imperanti.

98. Magistratus si auro comparari possunt, possunt & auro annihilari. Si venales sint honores publici, non qui meruerit, sed qui ditior fuerit, obtinebit. Ita quisquè per mille injustitiæ vias nummos congeret, aditurus Magistratum tantò indignior, quantò nummosior.

99. Vulgus medium non tenet: aut nimium res attollit, aut nimium deprimit. Habent hoc viliores animæ, facilè exerrant, & medio, ubi virtus est, nequeunt consistere.

100. Voluntate plebis nihil instabilius, sed & fortius nihil: nam quisquè multitudinem sequitur, & si quid illa affirmat, ratio locum non habet: instar torrentis, non pergit, sed rapit omnia. Si passio desit, vox populi vox DEI est; ubi passio adfuerit, vox populi vox diaboli est. Passionis ductum sequuntur plurimi, Rationis pauci.

DICTAMINA MORALIA.

DECAS I.

IN hoc creavit nos Deus, ut beati simus, ac sumus eheu! tàm infelices, ut beatitudinem nostram vel non cogno-

ſcamus, vel non æſtimemus. Verumtamen qui ignorat terminum, quomodo ſignaturus eſt viam? Erramus ſine propoſito, & quò feramur, neſcimus. Batitudo non eſt alienum bonum, ſed proprium. Ut quid aliunde accerſimus, quod domi noſtræ naſcitur? Intra nos eſt, quo beati ſimus; cur ab aliis mutuemus?

2. Vera beatitudo aut virtus eſt, aut nusquam ſine illa; ad minùs inſtrumentum eſt vitæ, ſi non beatæ. Beatitudo non poteſt eſſe absquè bono: quod autem aliud bonum majus, quàm bonum eſſe? ſi poſſeſſio boni appetibilis eſt, quid erit reipſà bonum eſſe?

3. Virtus ſibi ad felicitatem ſufficit, nequè ullâ re opus habet: eſt ſui ipſius pretium & præmium. Tàm amabilis ejus bonitas eſt etiam perverſis, ut in ipſis vitiis imaginem illius colant, quantumvis falſam, appetentes ſcilicet, quod melius eſt.

4. Hac Bonum prærogativâ gaudet, ut factum propter ſeipſum nihil amittat de bonitate ſua; malum autem licet obtentu boni fiat, non redditur inde bonum, ſed retinet malitiam etiam ſub ipſa ſpecie boni quæſitam.

5. Facilè imitabilis eſt virtus: ejus ſycophantam vitium agit, larvatum eâdem ſpecie: nequè ſemper utriusquè actiones diſtinxeris; intentio ſola diſcernit.

6. Ma-

6. Magnum quid virtus sit necesse est, siquidem eâ sola magni reddimur. Nequè enim, uti Zeno ait, qui magnus, idem quoquè virtuosus, sed qui virtuosus, ille reipsâ magnus est. Semper virtuti fortuna concessit: nam qui ejus causà occumbit, non moritur, sed perennat.

6. Supra hominem est, qui ex virtute operatur, infra hominem, qui ex vitio, Non solùm convenientiâ urbanitatis cogimur esse virtuosi, sed & necessitate: ne scilicet, quàm nascimur, pejores simus. Irrationali namquè pejor est, qui dotatus Ratione, fugit. quod illa dictârit.

8. Illud duntaxat bonum reputes, unde bonus reddaris. Tametsi dignitate super omnes emineas, si vel supremo in orbem polleas dominatu, sis licet sapientior omnibus, corporis animiquè dotibus excellas; nemo te tamen, si virtus absit, bonum appellârit. At verò desint hæc omnia, non desit virtus, nemo tibi boni appellationem sustulerit. Talis est ad præcellentiam titulus bonitatis.

9. Divitiæ fallunt, honores evanescunt, fortuna præcipitat. Anne, quod te bonum non facit, faciet fortasse pessimum, bonum dixeris? Non est bonum, quod bonos non facit. Virtus nemini officit, omnibus prodest, & absquè alterius adminiculo se solà proderit tibi, plus quàm cætera omnia.

10. Quidam Philosophorum virtutem definiunt esse, unde, & per quam omne bonum derivatur. Habet illa aquæ-ductus suos, per quos dimanat ad nos omnis felicitas vitæ hujus, & beatitudo alterius. *Undiquè* prodest, æquè corpori ac animæ, tàm in hac vita, quàm in altera.

DECAS II.

11. Omne vitium omni studio devita; nequè dixeris: id totum est quod possum, nequeo amplius. Idem enim hoc est, ac dicere: vellem, sed nequeo hoc vitium fugere; & hoc idem, ac illud: possum, sed nolo virtutem sequi.

12. Quæ distantia est cœli â terra, hæc eadem est terræ â cœlo: nam duo extrema æqualiter distant. Alia prorsus ratio est in virtute & vitio. A virtute citissimè transieris ad vitium â vitio ad virtutem lentissimè.

13. Virtuti uti dignissimæ competit honoratior locus: hunc ei discretio assignat, & mediam collocat inter extrema, cavendo, ne in quo deficiat aut excedat; ne quid nimis, ne quid minùs.

24. Videas Virtuti vitium semper esse proximum; idcircò cave sit, ne inquirendo in illam, incurras in istud. Sunt homines veri, sunt & picti solùm, fictivè. Idem est in virtutibus: quasdam color sic pingit & species externa; aliæ veræ sunt, & seipsis

constant. Virtus conficta vitium est, destituta scilicet discretione debitâ, & intentione purâ: falsa autem virtus est vitium verum.

15. Sed neque veris virtutibus omninò acquiescas: aliæ enim simplices sunt, aliæ solidæ: illæ roboris exigui, istæ validissimæ. Leo parvus & magnus uterque Leo est, differunt tamen. Virtus robustior alias quoquè attrahit, & jungit sibi: tenerior, licet virtus sit, sola remanet, & sociis destituitur.

16. Utere Ratione, quemadmodùm Leo unguibûs, cervus pedibus, & in pullorum præsidium plumis gallina. Omnia animalia dotavit natura, consentaneâ unumquodquè supellectile instruens, quasi portione cognatæ hæreditatis. Liberalior longè in hominem fuit: dando *R*ationem plus dedit, quàm cæteris omnibus.

17. Quomodo Leo victurus est absquè pedibus? aut quî se defendet aper absquè dente falcato? Et homo, nisi Ratio ducatum præstet, quam viam tenebit? quò progressurus est? Bene Pythagoras dixit, prudentiam homini pro viribus esse, pro armis, pro muro. Sit integer animus, omnia in tuto sunt.

18. Nullum vitium damnosius est, quàm quod virtutis similitudinem induit. Larvatum timetur minus, aut penè diligitur,

De-

Desipis, si alieni criminis te reum facis, ut proximum immunem reddas. Pejus est culpæ favere, quàm facere; hoc fragilitatis est, illud malitiæ,

19. Ex usu rationis formatur Virtus, ex abusu, vitium oritur. At quis Major abusus, quàm contraire Rationi? Tametsi quodvis vitium aliò se torqueat, omnia tamen adversantur Rationi; vitiosus autem sibi ipsi. Turpe est intellectu uti, ut bestiis assimilère.

20, Nescire imperare affectibus suis tàm dedecorsum est impio, quàm pænosum iis non posse occurrere. Vel non audet tentare quod cupit, vel si tentat, non assequitur. Adeò propria illum vota affligunt. Spes modicæ voluptatis quàm longâ rependitur serie dolorum! imò quàm cara sunt pretia dubii mellis per ipsos amarores ad nos defluentis?

DECAS III.

21. Nullum vitium est absquè censu, nullum cum emolumento. Sui causà, & sine fænore adjuncto nemo illud quæsierit; inde vilitas ejus patescit. Superbia appetit honorem, avaritia nummos, gula voluptatem: omnia spondent boni aliquid; sed præstant nihil, aut satisfaciunt pessimè.

22. Odisse te oportet vitia, non metuere. Nam qui ex metu fugit, non horrore malefacti, timidus magis, quàm justus dicen-

cendus est. Periclitamur non de casu solùm, sed & de interitu: damnosissimum enim est malè vivere, & non in discrimen duntaxat, sed & omnimodam ruinam præcipites agit.

23. Inanis species, & phantasma vivendi est mala vita; eam vitia occupant, non explent. Non habet usum, sed impedimenta vivendi, qui malè vixerit. Nihil agere est non vivere; malè agere est vitam perdere. Otium est parenthesis vitæ, vitium jactura. Non idem putes diurnare, & vivere; nequè omnis, qui diu fuit, diu vixit. Senex vitiosus diu fuit, parum vixit: juvenis vitiosus, etiamsi parum durârit, multum vixit.

24. Malè agere res est plena periculi. Malus nuspiam securus est. Tametsi nemo ei infensus sit & omnes indulserint, conscientia nunquam parcit nunquam desinit castigare. Peccatoris maxima pœna est deliquisse: ipso scelere plectitur Scelestus.

25. Sceleribus nunquam profuit Secretum: Possunt quidem occultari; at ut semper lateant, quis assecurabit? O ineptos! quibus cura tantùm est abscondere peccata, quæ non possunt, & nolunt destruere, quod facilè possunt. Quid prodest, alii ignorent malitiam tuam, si tibi ea constet, & Deus perspectam habeat? Quamvis ab omnibus securus degas, timebis tamen: de-

desint licet pericula, non deerunt timores minùs detrimenta.

26. Non famâ æstimemus nos, sed conscientiâ. Plus interest te virtuosum esse quàm videri: nequè enim ex eo, quod audis sed quod es, æstimari debes. Bonitatem non censeas testimonio alieno, nequè gloriam putes laudatum esse, sed laudabilem. Ille maximè laudabilis est, qui etiam non laudatus perseverat laudabilis esse.

27. Inter delicias corporis ægrotat animus; & spiritus flaccescit, dum caro saginatur: deficit enim facultas agendi quod voluisse aliquando facilè fuit, corporis dilatatione constringente animam.

28. Voluptas, ubi modum transilierit, vertitur in pœnam. Sanè perutilis virtus sit oportet; siquidem ipsa vitia, ut suum consequantur finem, ejus indolem imitantur servato medio, vitatisque extremis.

29. Leo blanditiis solet mansuescere, & caro nostra deliciis efferatur. Cibus sumendus non est uti materia gustûs, sed quasi medicina famis. Non vivimus, ut edamus; sed edimus, ut vivamus. Edendo modicè, vives diutissimè: plures enim occidit gula, quam ferrum.

30. Adeò nihil prosunt vitia, ut etiam obsint ipsi vitioso. Quò plus cuticulam tuam curaveris, tantò plus inde gravaris. Amassse nocuisse est. Gula; & Luxuria

collegæ ac veluti Consules sunt vitiorum: quantò magis blandiuntur carni, tantò magis officiunt: vires hebetant, agglomerant dolores, substantiam pessumdant.

DECAS. IV.

31. Ingluvies per vitæ officinam mortem fabricat, per gustum anxietatem. Lascivia dulce est principium amari exitûs: initio palpat, exitus exitium est. Vitium sibi ipsi notissimum, obscurum tamen ambiens erubescentiâ propriæ fæditatis; tametsi plus lateat sub sortis favore quàm noctis obscuro.

32. Infamat corpus suum, qui, voluptuosè vixerit: dum deliciis fovet, mille incommodis expositum habet. Hosti acerrimo arma subministras, si indulgentiùs habes.

33. Vita voluptuosi est vita animalium, vita gulosi plantarum, quæ partim humatæ sunt, nequè aliud habent, quàm ut alantur. Vitâ vivit vegetativâ, sensitivâ pollet, rationali torpet.

34. Nunquam amentiùs superbus delinquit, quàm quando de alieno procurat opinionem sui. Præfert se aliis, quia ditiore veste indutus est, quia gemmis rarioribus fulget, quia cum comitatu multo procedit; metiendo dignitatem suam â manu Sartoris, aut arte argentarii, non opere heroico, famâ, & homine digno.

35. Æquè desipit præsumptuosus, ac qui desiderio se calefaciendi volutatur in nive: hoc est, per opposita media contendit ad finem. Amore excellentiæ propriæ contemptibilem se præbet per ipsa, quibus postulat adorationem sui. Nempe relapsa in contrarium cupiditas, dum æstimari vult, contemptui fit, transeunte arrogantiâ in vilipensionem.

36. Alia vitia obscurum amant, sola superbia tàm stulta est, ut ubiquè videri ambiat, jactetquè eminentiam suam, cùm vitiis reliquis inferior sit, ac longè abjectior.

37. Inter vitia nullum stultius vanitate: damnosum est animæ, & corpori non prodest. Præsumptionis suæ aliud fœnus non habet, quâm quód risui sit & horrori: dignissimum meritis ipsius præmium.

38. Cùm omne simile amet sibi simile, superbus nihil ægriùs tolerat, quàm æqualem: societas conditionis dissociat. Et quemadmodum similitudo ipsius naturæ instinctu parit amorem, ita superbia vitio elationis odit æqualitatem. Fera solitudinis amans, horrenda egenis, divitibus intolerabilis. Nam si opulentum afficit, reddit vanum; si pauperem, fatuum.

39. Tantæ malitiæ hoc vitium est, ut peccatum respectu illius videri possit proficuum. Expedit sanè præsumptuosum quan-

quandoquè in culpas prolabi, ut ex ipso casu sapiat, noveritquè se odisse.

40. Honores taxandi sunt meritis, non ambitu. Æquidem majoris gloriæ est non obtentos meruisse, quàm non meritos possidere. Ambire, quod non meruisti, impudentia est: procurare per media inhonora, infamia. Plus recidit, quàm assurgit, qui per indigna se evehit: honor ei in confusionem cadit, dignitas in contemptum.

DECAS V.

41. Quidquid boni est, à DEO est, quidquid mali, à te. Dic igitur, unde præsumis? Si de malo? non est hæc gloria, sed calamitas. Si de bono? hoc alienum est, non tuum. Præstat in malefactis humiliter pœnitere, quàm in virtute satisfactione præsumere.

42. Ambitiosus exerrat â via, dum ad Solium honoris contendit; non evehit eò fortuna, sed virtus. Ipso ambitu, quo accedit, repellitur, dum per vitium prætendit, quod non nisi virtus concesserit.

43. Iram, ut potes, fugito: præcipitat consilia, suadetquè fieri optimè, quod nocivissimum est. Juberis sævire in alium, & teipsum perimis: ita & apes lædunt pernicie suâ. Damnum, quod putas tuum, sarcire vis alieno, & proprium auges; Multos, crede mihi, verbuli non dissimulati impatientia, patriâ extorres fecit,

44. Quantò abes longiùs â capiendo consilio si irasceris, tantò magis expedit prævertere, ne irascaris. *Ut patiamur nos ratione destitui*, multâ certè ratione opus est: & fortassis non suppetit ratio, quæ te impellat, magis ut irascaris, quàm ut inebrieris.

45. Tutius est inimico ignoscere, quàm ab illo vindictam petere, forsitan & facilius. Ignoscere potest nec movendo pedem, ulcisci vix absquè impensis, discrimine non parvo.

46. Nequè â mortuo responsum extorseris, nequè ab avaro gratitudinem. Desiderium accipiendi extinguit in illo memoriam accepti. Ut accipiat, quidquid grande est, videtur modicum. ut dones, quidquid modicum est, videtur immensum.

47. Avaro, quæ aliis felicissima sunt, veniunt in censum calamitatis. Divitiæ ipsi vertuntur in egestatem, vita in pœnam. Hujusmodi nempe vita avaro est, ut pejus ei voveris nihil, quàm ut vivat.

48. Plurima desunt divitibus, avaro omnia. Inutiliora sunt ei possessa, quàm non adepta. Ipsa quæ habet, cupit; & ipsa desunt, quæ habet, cum frui non audeat. Adeò nempe infelix est, ut tàm desit ei, quod habet, quàm quod cupit habere, & forsitan hoc magis: nam de eo, quod habet, non gaudet; & illud, quod non habet, spe-

ſperat ſolummodò. De illo, quod poſſidet, non habet fructum, & illius, quod ſperat, ſolùm odoratur florem.

49 Multùm intereſt inter timentem egeſtatem, & amantem divitias Illum fugiunt omnes, ab hoc abhorrent. Illum vis neceſſitatis audacem facit, iſtum vilitas avaritiæ odioſum: nulli enim avarus niſi hæredi proficuus eſt.

50, Perinde avaro ſua cupiditas eſt, ac naufragium aut incendium: non magis fruitur ſubſtantiâ ſuâ, quam ſi foret aquis hauſta, aut igne abſumpta. Quidquid in arcam recondidit, idem eſt, quaſi amiſerit: tantundem proficit habenti ac carenti. Cupiditas avari paupertas eſt deaurata, locuples inopia, & in abundantia egeſtas.

DECAS VI.

51. Avarus nemini utilis eſt, ſibi ipſi nocivus: aliis non tribuit quidquam, ſibi ipſi detrahit omnia, ſui ipſius pœna, & calamitas. Vitam ducit egentis, nunquam viſus habuiſſe aliquid, niſi cùm ceſſat habere. Eò nempè redigitur, ut nequeat benefacere, niſi moriendo; fideliſſimus hæredi, & amantior quàm ſui. Quàm ſimulatè tunc plangitur ab iis, quibus vivus noluit prodeſſe!

52 Uti liberali ſemper ſuppetit titulus dandi, quod petitur; ita avaro nunquam deeſt ratio negandi. Avarus non gaudet

de auro, quod possidet; liberali etiam fructificat, quod alienat. Ille mancipium est ejus, quod habet: iste Dominus etiam illius, quod non habet.

53. Qui nescit opibus dominari, facit, ut opes dominentur ipsi. Aurum sapientûm est, insipientes sunt auri. Illius solet opulentia abuti, qui nescierit opulentiâ uti.

54. Livor in hoc perniciosus est, quòd gaudeat de alienis malis absquè proprio bono; in hoc perversus, quod bona aliena vertat in propria mala. Infelix vitium! quod non torquetur solùm â malo quod sentit, sed & â bono, quod videt. Sufficiunt mala vitæ hujus, ut quis inde reddatur miser? quod si etiam bona in id concurrant, bis miseri sumus.

55. Aptè quidam invidiam æquiparavit coti, ad quam linguæ acuantur. Verùm calumnia invidentis commendatio est, dum quasi cogitur de bono proloqui malè, innuens virtutem, dum arrodit. Bonitatis encomium est ab invido taxair, vituperium foret commendari.

56 Faciliùs tuleris invidum, quàm adulatorem: ille pejor est contagioso, aut, uti quidam, dæmoniaco. Undiquè Livor malitiam contrahit, seu pœna sit, seu culpa. Culpa illius est peccatum infame, pœna insolita crudelitas.

57. Rarum Monstrum invidia! injusta si-

ſimul, & juſtiſſima. Quæ enim injuſtitia major, quàm offendi alterius virtute? Sentire malè quod alius agat benè? At contra, quod vitium majori juſtitiâ caſtigat ſe amantem, ac livor, torquens aſſiduè quem occupârit?

58. Idem amor eſt Adulatoris in hominem, qui lupi in ovem. Uterquè amat, ut prædam capiat, non ut obſequium præſtet, Adulator eſt hoſtis occultus, quem nemo meliùs noverit, ac avarus. Parum eſt mendacem eſſe, jure dixero traditorem; dum peſſimo officio fungitur obtentu optimi, & per ſpeciem amoris nocet damno hoſtilitatis.

59. Tritum adagium eſt, mendacia carere pedibus: ego dixerim, mendacia alis abundare, mendacem verò pedibus deſtitui. Illa enim celeri volatu ſe ubiquè diffundunt, hunc autem facilè deprehendas, nervis quaſi contractis ubiquè claudicantem.

60. Nulla eloquentia efficacior, ac illa, quam neceſſitas docuerit. Illa tropos ſuggerit & figuras, illa rationes ſubminiſtrat, ut perſuadeat. Nullo tamen ex fonte fortius argumentum duxeris, quàm â Veritate: inde ſolùm Intellectus convincitur, inde Ratio ſuſtentatur. Verùm cruda Veritas ægrè transmittitur, intrita ſit, cocta ſit, ut digeri poſſit.

DECAS VII.

61. Quisquis amat, tendit in bonum. Quid igitur amamus, quod hoc ipso, quia amamus, nocet, bonumquè malo rependit? Infelix Amator, qui deperit causam sui infortunii. Hoc agit, qui fortunam diligit, non virtutem.

62. Summa Animæ felicitas est adimpletio cupiditatis. Si ea tendat in bonum, non solùm felix, sed verissimè bona evaserit. Amare DEUM summa est virtus: amari â DEO summa felicitas.

63. Nonne fatuitas videtur, amare ea bona, quæ si alter amaverit, Zelo consumeris? DEUM potes amare absquè metu amittendi, & absquè zelo te non amari.

64. Insipienter quoquè illud amaveris, quod, quia amas, justum est, ut perdas. Amando divitias, mereris iis destitui. Illud sapienter amâris, quod amando mereris consequi. Amor est echo amoris, amari pabulum amantis: ex utroquè amicitia conficitur.

65. Timor non est nisi mali. Quod si ergò mala hujus mundi malum non sunt, cur timeamus? Trepidemus ad culpam, non horreamus ad pœnam. Illa verissimum malum est, hæc bonum nondum existimatum, cui licet fama desit, non deest veritas.

66. Solent puniri vota nostra per id ipsum,

ſum, quod appetunt. Semper enim plus reperias. quod metuas, quàm quod anheles. Quæris voluptatem? cur non times fel, quo imbuta eſt, & dolorem, qui manet fruentem? Forſitan dolebis omni vitâ, de quo vix gaviſus es mediâ horâ?

67. Metus, & triſtitia ſunt ſanguis animi vulnerati. Quis è ſaucio corpore otiosè ſpectat manare ſanguinem, & non potiùs quærit vulneri medelam? Si fortuna minatur, noli inquirere, quo ictu te feriet, ſed quâ fronte accepturus ſis. Non vulnus metuendum eſt, ſed animus in illud aptandus.

68. Qui libenter fert, quod ferre neceſſe eſt; fregit vim mali, & evertit præcipuam machinam ærumnæ. Levamen miſeriarum eſt, non reniti. Vis imminuere calamitates tuas, compone cum alienis. Mitigari ſolet dolor afflicto, ubi viderit nulli malum incumbere, quod alius non tulerit.

69. Geminus virtutis cuſtos metus eſt, & erubeſcentia. Hæc ingenuum abſtrahit à malo, ille vulgus coërcet. Multitudo non paret honeſtati, ſed jumentorum inſtar adducenda eſt ictu aut metu. Ingenuitatis illud indicium eſt, hoc mancipii animiquè ſervilis.

70. Timor eſt occulta admonitio naturæ ad mala evitanda: nam quæ inevitabilia ſunt, timeri non debent, cùm præcaveri non poſſint. Timor in pericula valet, non in

in damna: quæ ubi certo noveris eventura, in ea erigenda est mens, & Præstolanda virili animo, non metuenda ignavo.

DECAS VIII.

71. Plus vexamur timoribus, quàm malis, & dum ante necessitatem angimur, ultra necessitatem affligimur. Mala semel nos torquent, timor assiduè. Ast nunquid fatuum est, perpetuò timere, quæ nec sunt, nec possunt esse perpetua; Multa, quæ non essent, sunt: â metu incipiunt esse. Timor plura mala facit aut majora, atquè ita bis patimur mala, dum sunt, & dum formidantur.

72. Meticulosus multa credit, parum audet: sola Mali suspicio retundit generosos spiritus, & animum cohibet digna ausurum. Metus facillimus est credulitatis proxeneta: certa effingit, quæ eventura non sunt, imò plura, quâm possint esse. Plura enim possunt esse, quàm eveniant, & hæc omnia metus admittit.

73. Ex timore non sunt metienda pericula: sæpè enim ubi major securitas, ibi majus discrimen. Moderatus timor plus habet securitatis, quàm nimia remissio: ille animum continet, hæc distendit.

74. Judico tamen minùs spei dandum, plus timori. In hac enim vita, mala abundant, & bonis certiora sunt. Casus sinistri quotidie eveniunt, & calamitates sese

agglomerant: ſors bona rarior eſt, numeresquè mille miſeros, vix unum fortunatum.

75. Non diffiteor: ſiniſter rerum interpres metus eſt, at non ſemper mendax. In tanta malorum congerie quid faciliùs, quàm in ea provolvi? ſpes fallit ſæpiſſimè; quia pauciora bona ſunt, & plures, qui precantur.

76. Nemo pauperior, quàm qui ſpem non habet, nequè ulla neceſſitas major, quàm ubi illa non ſuppetit. Nunquam bona defuerint, ubi, quod ſupremum reſtat, ſpem habemus. Illa una triſtioribus rebus adeſt, nec ſequitur fortunam, ſed ubi omnia nos derelinquunt, ſola illa perſtat fidus Achates.

77. A bonis præteritis non mitigantur mala præſentia; guſtum autem præſentis voluptatis exâggerat dolor antecedens. Bona expectata decipiunt, mala tolerata lætificant.

78 Senſum rebus accomoda. De modicis non doleas multùm; de magnis modicè læteris. Non eſt prudentis quacunquè ex cauſa totâ paſſione effundi. Præverte animo, quod eventurum times: ſi prævideris, forſitan non timebis, aut non adeò. Quid enim eſt, unde angeris? Expende penitiùs omnia, comperies cauſam afflictionis minorem eſſe. Generosè ferendum eſt, quod

quod æternum non eſt, quod ipſa toleran-tiâ imminui poteſt, quin & abſolvi.

79. Non ea eſt hominis calamitas maxima: quòd viventi ſemper mors inſidietur; major eſt, quòd ipſe ſibi in interitum vivat, id eſt in lucem genitus, ut occumbat. Majorem ſeipſo hoſtem non habet: nam qui malè vixerit, minùs mori formidat, quàm qui deperit vivere.

80. Contende benè agere, & affluent tibi bona. Tibi proficis, ſi ſtudeas aliis prodeſſe, Gravaris multùm curando te, tuaquè commoda; nequè habes, quod ab aliis expectas: proficiendo illis, proficis tibi. Parum agis, ſi aliis non obfueris; at benefaciendo & proderis illis, & tibi: beneficia enim pariunt amicos. Senſatè Attalus: *Delicioſius eſt amicos facere, quàm habere*: ſaltem æquè bonum eſt, nonnunquam utilius.

DECAS IX.

81. Nulli obeſſe, innocentia eſt; alteri non obeſſe, juſtitia. Verùm hæc duntaxat pars media charitatis eſt, altera eſt miſericordiæ: perficitur autem ex utraquè. Nam ad non obeſſe, quod eſt juſtitiæ, deſideratur ut proſis, quod eſt beneficentiæ.

82. Regula Juſtitiæ nulla exactior, ac Amor ſui: metiendo alios ex te, judicabis de alienis, uti de tuis. Si beneficium æſtimes, alteri non obfuiſſe, ſat injuſtus es. Juſtitiæ enim non debetur gratitudo, & benefici-

ficentia censenda non est alteri non nocuisse.

83. Diffidere aut suspicari, dici posset cautela; at credere facilè, plus est. quàm levitas. Prudentiæ est suspendere judicium, justitiæ non publicare. Noli à sensibus mutuare sententiam: testimonium illorum falsum est. Sine, decipiantur illi, non tu. Non accelera judicium; mora aperit veritatem.

84. Justitia absquè clementia proxima est crudelitati: clementia verò absquè justitia haud longè differt ab imprudentia. Clementiam semper antecedat Justitia: hæc priorem locum occupet, illa eminentiorem. Plus aliquid Clementiæ dandum, licet suus rigorem honor maneat. In hoc excellit Justitiæ pretium, quod sine prudentia æstimari debeat; hæc autem absquè illa inermis manet, viquè omni destituta. Justitia se sola prodest, prudentia absquè justitia feracissima est malorum. Nullum virus periculosius, quàm serpentum; nequè ulla injuria gravior, quàm â subdolo illata.

85. Qui semper quæsierit, quod arridet rarò inveniet, quod non dedeceat. Mille tricis involventur omnia, ubi Rationi se præposuerit voluntas. Quamdiu affectus te occupant, ineptus es judicandi. Languet ibi judicium, ubi passio viget. *Meritis* attendendum est, non personis; quid jus alterius exigat, non quid potestas tua valeat, aut suadeat voluntas.

86. Gradum aliquem malitiæ tuæ adjicis, si, quia malum placet, delinquis. At verò magnis ille passibus malitiæ accedit, qui sibi in malo complacet, quod patravit. Qualis dementia! perversum damnando perverti, & amittere virtutem ex odio vitiosi.

87. Fortis est, qui pudore non vincitur; at longè fortior, quem non vicerit necessitas. Hunc æquè fortem existimem, quàm qui vicerit seipsum.

88. Non illum dixeris fortiorem, qui plura fecerit, sed qui cuncta tulerit patienter. Non est in humanis potestas, cui nemo aliquando restiterit: at contra patientiam quis unquam prævaluit? Dicere: hoc non feram, mentis est effœminatæ. Dicere: hoc non faciam, animi virilis.

89. Mentis generosæ in se collectus ardor veluti per antiperistasim, adversitatibus irritatus magis accenditur, & inter ipsa infortunia se manifestat: nunquàm deficit, sed quò plus vincendum reperit, eò plus roboratur. At major adhuc vis patientiæ: nihil agendo omnia vincit, & instar castri munitissimi absquè adjumento iracundiæ repellit hostem.

90. Currus victoriæ trahitur à prudentia & fortitudine, quibus si consilium junxeris, & animi robur, duplicabis vires in omnem insultum. Nihil ita fortunat generosum animum, ac prudens ratio gubernandi.

DE-

DECAS X.

91. Temperantia evehit ſeſe ad ſolium virtutis, quod eſt medium: omnes quippe virtutes, ut tales ſint, hunc locum ambire oportet, quem temperantia naturâ ſuâ poſſidet. Ipſa appellatione cognoſcitur eſſe virtus, jam ab ortu ſuo eò evecta, quò reliquæ omnes aſpirant. Res mira! quod in moralibus virtutibus majus eſt, hoc eas imminuit: exceſſus tranſit in vitium, ſolaque mediocritas virtus eſt. Ab illa condiuntur omnia, & quidquid naturâ ſuâ ſapidum eſt, absquè illa redditur inſulſum. Illa honeſta ſuſtentat, obſonat dulcia, & utilia procurat.

92. Multùm ſupereſt temperanti; quia paſſio ſumptuoſa eſt, & prodiga; aſt horror vitiorum colligit, & ditat. Plurimùm congregat, qui nihil inutiliter diſpergit; idcircò Temperantia non ſolùm virtus eſt, ſed theſaurus. Alea, & mulier plùs abſumunt, quàm voraciſſimum incendium.

93. Eâ ratione corpus tuum habe, tanquam ſine quo vivere non poſſis. Cave illi vivas: quia non vivis propter illud. Menſura commoditatum ſola neceſsitas ſit, non cupiditas, aut voluptas. Hæc enim feraciſsima eſt omnis moleſtiæ, & januaria doloris.

94. Virtutis effigiem nemo meliùs expreſſerit, quàm ipſa mors, tanquam optima vi-

tæ idea, & norma. Si cupis benè vivere, consule demortuos, illi magistri tui erunt. Nulli meliorem vitam agunt, quàm qui mortuis assimilantur. Philosophia, mortis meditatio est; ista vanitatibus larvam detrahet, dedocebit vitia, & virtutis immensa commoda aperiet.

95. Ut tui oblivionem nunquam incurras, memineris semper te moriturum Fœcundissima est mortis recordatio; admonet hominem ejus quod est, quod deberet esse, & quod illi incumbit agere. Magistra est, & benefactrix vitæ: docet vivere, ut gaudeas vixisse.

96. Ne existimes, quòd cum morte desinas solùm vivere, desinis quoquè mori. Ex quo cœpisti esse, cœpisti desinere: ex quo vivis, moreris. Lumen vitæ idem est, quod candelæ: inde moritur, unde vivit; inde consumitur, unde alitur.

97. Quid eras, priusquam te orbis habuit? Inquis: Non eram. Non esse extrema necessitas est. At quid nunc es, qui paulò ante non eras? & dum cœpisti esse, penè nihil es, ac in brevi ad nihilum rediturus es? Igitur cùm omnia nihil sunt, unica virtus aliquid est, imò multum est; quia multum potest, & te magnum facere potest. Æstimemus illud, unde solùm æstimari possumus,

98. Penè idem est diu vivere, ac diu pati. Flendo

Flendo naſcimur, querendo morimur, & vivendo periclitamur, Id unum ſolari nos poteſt, neminem cœpiſſe vivere, qui non cœperit ſimul mori; atquè ita vivere & pati eodem momento inchoare, eodem deſinere.

99. Virtuti tanta eſt acceſſio ab eo, qui patitur multum, â quo illa abhorret, quàm ab illo, qui gaudet de bono, quod illa proſequitur. Miſerum te! ſi anima in corpore alio quàm ſalis munere non fungitur, id eſt, conſervandi, non gubernandi.

100. Virtus quidem eſt accidens hominis, ſed quæ ſubſtantiam conſervat. Condidit DEUS creaturas omnes, ut ſerviant homini, hominem verò, ut cum omnibus illis ſerviat DEO. Virtus ſola eſt, quæ te hoc honore dignum efficit; & tu per illam, eundem tribue Creatori.

DICTAMINA
STOICA.
DECAS I.

QUemadmodum non quod poſſidemus, ſed quod in votis eſt, delectat; ita non quod deeſt, affligit, ſed quod concupiſcimus. Æquè beatus erit, qui nihil cupit, quàm qui habuerit omnia. Carere cupiditate theſaurus eſt omni Regno locupletior. Quanta non Regibus deſunt! at qui nihil cupit, abundat.

2. Gaudium non est donum fortunæ, sed supellex cordis domestica; non quia illud foris non nascitur, sed quòd animus lætitiæ patria sit, & pater. Latens est gaudii artificium, quo mens reficitur. Rebus, quas appetimus, non inest voluptas, nec quas horremus, dolor: animus utrumquè facit, complex utriusquè. Sæpè enim quod uni placuerit, fugiet alter, & quod abominatur iste, ambit ille. Affectuum differentiam res ipsæ non gignunt, sed voluntas: quæ quia libera est, potest, quibus velit, gaudere & quâ facie libet, induere cuncta. Rebus manentibus variatur affectus. Illæ insipidæ sunt, donec voluntas saliat: ad ejus condimentum aut dulcescunt, aut amarescunt; prout obsonaverit, sapient.

3. Quid oberramus per avia inquirendo felicitatem, ubi non est? Per plura progressi majus intervallum facimus, & longiùs distamus à fine. Quò plus videmur accedere, recedimus. Pergimus per viam cupiditatum, ut pertingamus ad terminum non concupiscendi. Contrahe desideria tua, & iter abbreviâsti. Qui antelucanis votis non præcipitat exitum, non incurret in avia; imò non itinerando, se reperiet in termino. Si nihil cupere summa felicitas est, cur cupimus, ut non cupiamus, cùm liberum sit concupiscere?

4. Calamitosus est, qui timet: infortunatus,

natus, qui sperat. Utramquè fortunæ astutiam intercipit, qui neque sperat neque timet. Omnis doloris cardo est: vel quia habemus, quod non volumus; vel quia volumus, quod non habemus. Clariùs dicam: deest, quod cupimus; adest, quod odimus. Hæc sunt elementa doloris. Verùm tolle affectum in res pronissimum, & te ab omni fortunæ casu exemeris.

5. Quàm libera est ad agendum voluntas, tàm quoquè arbitrii tui est, non dolere. Remedium omnis calamitatis est mutare voluntatem, rebusquè, prout eveniunt, accommodare. Hac ratione emollies, quidquid sensum excitare potest. Dolor verecundus est, non sponte se ingerit, venit duntaxat advocatus.

6. Ars magna est, nosse quid velis, & quid velle debeas: inde omnis animi tranquillitas, inde gaudium, & beatitudo. Desine velle, & major eris mundo universo. Ut casibus fortunæ superior sis, sis priùs major teipso: de te superest, ut emineas rebus, ut sis lætus, felix. Non omnes mutilatio corporis felicitate exuit; sunt, qui amputatâ dextrâ, scissâ, tibiâ secto armo, effosso lumine gaudere poterant, & retinere quietem sui. Impertinens est gaudio, quod pertinet ad casum. Quidquid excidere potest, non venit in censum bonorum. Satis est animus constet sibi, etiam in lacerato corpore. Si ti-

bi sufficis, omnibus abundas: idoneo votorum usu ditissimus es.

7. Non ames absquè delectu, sed adverte in quid colloces affectum tuum. Periclitaris enim decipi, & tunc domi tuæ dolor erit, & pœnitudo. Si cupieris, quod alieni est arbitrii, subis discrimen non obtinendi, volo dicere, temet affligendi: at si velis solùm, quod habes, quòd in manu tua est, securissimè gaudebis. Igitur id nolis, quod potens non sis efficere; id unum velis, quod cùm velis, possis, id est, bonus esse, benè operari. Hanc potentiam vis nulla infregit. Æquè felix videtur, qui potest, quæcunquè vult, ac qui non vult, nisi quæcunque potest. Beata illa voluntas, quæ habet, quidquid vult: quia non vult, nisi quod potest habere.

8. Gaudium, est quoddam complementum desiderii reiquè desideratæ, cùm possessionis jure fungitur amor. Igitur voluntatem sic instrue, ut cùm nequeas habere, quantum potes desiderare, illud duntaxat desideres, quod potis es habere. Si voluntatem facultati exæquaveris, tùm primùm beatus eris. Si hæc dissenserint, toties miser eris, quoties concupieris aliquid. Voluntas parum potentis exæquatur optatis, si parum optet: sicut & optantis multa, quia potest multa. Non est enim felicitas in nimiis, sed in possessione cupiti, in exæquatione voti.

9. Si guttâ potes sitim extinguere, cur vis ex fluvii alveo aut Oceano eam irritare?

ne? Si ex abstinentia saturâris, cur ex ingluvie mavis esurire? Æquè insanis, si cum possit animus modico impleri, vota extendis ad plurima, semper famelicus, & nunquam satiandus. Cupiditas sphæram suam in immensum diffundit; at minus est sapientis habere multùm, quàm nihil desiderare. Nolendo enim impletur voluntas, & abstinentia desideriorum saturat voluntatem. Age nunc! quid ex duobus eligendum statues? ex inopia satietatem, an ex copia esuriem, indigentiam, dolorem?

10. Multùm se promovit, qui spem omnem ac timorem exuit. Attigit enim quietem animi, quò nullus eum fortunæ favor extulisset. Potest quis sui ipsius esse benefactor maximus: nihil volendo, plus sibi largitur, quàm alii dando orbem universum. Non pauci mundi opes contempserunt; at nemo non zelat super amænissimâ quiete nihil cupientis.

DECAS II.

11 Si statuisti, quæ te impetunt, sufferre; immenso te molestiarum onere liberasti. Expediisti enim te ab impatientia, quæ est filum mala omnia connectens, & janua, per quam tota infælicitatis moles animum subintrat. Impatientia nulli medetur malo, nullum extenuat, omne augmentat, & impinguat. Ægrè toleras dolorem istum? igitur velles minorem? hoc ipso quod nolis ferre,

ma-

magnum facis; ferendo solum, minor redditur.

12. Nolendo sufferre, malum malo superaddis. Impatientia enim duplex malum generat: unum culpæ, quod ipsa est: alterum pænæ, quod doloris; adeoquè novo onere gravat oneratum.

13. Dum malum perfers, vita iracundiam; dum operaris bonum, exhibe hilaritatem. Nihil est, quod animum ita deliniat, uti exercitium agendi benè; nihil quod ita exacerbet, uti impatientia tolerandi mala.

14. Fac mens tua passionibus vacet, & major eris Alexandro. Ille mancipium fuit sui suæquè cupiditatis; tu liber eris, tui omniumquè Dominus. Tale dominium quis non præ vilissimo illo mancipatu elegerit?

15. Libertas animæ eminet dominio Universi. At quomodo spiritus erit liber, si vinciatur affectibus? Qui passionibus suis optemperat, mancipium est multorum tyrannorum.

16. Subegisse inordinatos animi affectus ingens est victoria: neque minor triumphandi ratio, si cupiditatem, quàm si castrum munitissimum expugnaris. Utrumquè excedis, si, quòd viceris, virtuti debeas, non passioni. Sunt enim nonnulla vitia, quæ se invicem impellunt, unumquè ab altero impugnatur; at qui malum malo vicerit, non vincit, sed victus est.

17. Tametsi duo vitia se mutuò infestent, neutrum tamen hostem suum castris exuet sed ligatum duntaxat tenet, & quasi carceri mancipatum. Ast ubi occasio illuxerit, obices omnes perfringet, reddetquè vicem pejori malitiâ.

18. Quemadmodum is parum proficit, qui ramos decutit, arbore, quam excisam vult, virori suo relictâ; ita dum vitii radix integra perseverat, virtus secura non redditur. Passio passione non tollitur, nequè unum vitium altero solet expugnari.

19. Sunt qui â vitio abhorrent, non amore virtutis, sed affectu alterius vitii. Infelix odium, quo persequeris malum; nisi id facias ex amore boni. Malum odisse, ut alio malo fruaris, quæ virtus?

20. Potest non immeritò mirum videri, ea vitia, quæ sui similitudine, proxima sunt virtuti, præ cæteris magis esse cavenda; eâdem scilicet ratione, quâ fictus amicus plus solet nocere, quàm hostis apertus. Incidemus in pedicas fucatæ virtutis, nisi visum acuerit passio suppressa.

DECAS III.

21. Ars princeps vivendi est, scire amare bonum, atquè illud cognoscere. Per geminos hos aditus dolor omnis animum subintrat; vel quia erramus amando, vel quia fallimur cognoscendo. Passio efficit, ut ambiamus malum, ignorantia ne dijudicemus bonum.

22. Vis

22 Vis securè progredi, ducem adhibito veritatem, non opinionem. Apprehensio, & metus mala omnia effingunt, atquè inde nundinantur sensum doloris gravissimum.

23. Sinistrâ inæqualitate rebus componimur: ploramus, de quo gaudere oportuit, & gaudemus de eo, quod foret deplorandum. Pessimè hos affectus dispensamus: jam læti, jam tristes, ubi nec mæroris objectum est, nec causa lætitiæ. Præstaret confundi, & erubescere, res tàm viles, tâm ineptas occupare, ne dicam alterare animum nostrum.

24. Plus nos oppugnant mala, quæ fingimus, quàm quæ reipsa sunt mala: acerbiùs quoquè ab iis affligimur, quæ credimus esse, quam quæ reipsa sunt Opinionis hoc fascinum est, quæ nos in contrarias rebus censuras præcipitat. Non afficeret nos injuria, nisi putaremus affici.

25. Divitias bonas esse censemus? non sunt. *Usus* duntaxat bonus est: honestamus illas, cùm occasione mali iis utimur benè.

26. Parum boni divitiis inest: malorum enim penè omnium causa sunt. Impellunt in pericula, solicitudinibus torquent, cupiditates laxant, omnibus vitiis aditum aperiunt. Inquietant concupitæ, possessæ cruciant, amissæ affligunt. Anne parvum malum erit, per quod & mali efficimur, & in tanta mala præcipitamur? 27. Lon-

27. Longè ac majus ac sincerius bonum paupertas est, sine curis, sine periculis, sine damnis, tota composita in bonum animi, & corporis: nemini invidet, nemini nocet, nisi abhorrenti. Contrarium divitiæ habent, iis obsunt, â quibus appetuntur. Quod si damnum aliquod inde sentitur, vitium non est in paupertate, sed in paupere.

28. Hallucinaris graviter, si feliciorem judicas, qui ditior est: tametsi illi, quàm pauperi, substantia amplior, majorquè â plebe respectus. Quantumvis enim plura habeat, eget tamen etiam pluribus, nequè desunt pauciora. Pauperi deest, cujus natura indiget: diviti, quod vanitas sua exposcit.

29. Diviti deest, quod cupit: pauperi solùm, quo eget. Ille indiget, unde alat omnia vitia: iste solùm, unde sustentet vitam. Cui deest etiam illud, quod habet, propriè pauper est: qui non eget illo, quo, caret, reipsâ dives. Non enim est pauper, qui caret, sed qui eget; non eget autem qui caret, sed qui desiderat. *Multi egeni sunt, non quia non possident multa, sed quia non contentantur paucis.*

30. Quærere in divitiis voluptatem, abjecta vilitas est; ambire iis honorem, illusio: ipsa in illis vitia desiderare, infime delictum. At qui uni satagit necessitati occurrere, næ ille quàm citissimè attinget scopum paucis sese contentandi. Qui nihil cupit, nulli necessitati obnoxius est.

DECAS IV.

31. Tametsi corporis salutem æstime
uti rem admodùm bonam, exinde ægri
tudo censenda est uti magnum malum
Multos morbus docuit esse morti obnoxi
os, quos sanitas jurasset esse immortale
Expedit hanc larvam detrahi, & clariù
nosse, qui simus. Persuasissimum habe, e
sanissimis plures esse morti vicinos, quà
quos Medicorum cura deposuit: quin
non paucos morbis exhaustos vitâ superâ
se valentiores.

32. Vita dicenda est bona, cùm benè im
pensa fuit; & mors tunc solùm mala, quan
do præcessit vita non bona, Sola vita m
litiam transscribit in mortem; quidqu
mali habet, â vita habet. Qui moritur, l
gem naturæ implet, non committit cu
pam. Multis noxium fuit diu vixisse,
nulli, qui benè vixit, nocuit citò obiiss
Non idem est diu fuisse ac diu vixisse.

33. Non hoc est amittere vitam, quò
mors opinione citiùs occurrat. Nam pe
inde est, si dicis te perdere, quod deb
quàm si neges te debere, dum solvis. S
conditione moriendi nascimur, atquè eo
ne vitam ingredimur, ut inde denuò eg
diamur.

34. Cur formidemus mori, qui om
vitâ aliud non egimus, nisi mori? Cù
moritur quispiam, desinit vivere, & du

scitur, incipit mori. Non minùs verum t nos murituros, quàm nos actu mori. t quis tàm insipiens, ut neget se agere, uod agit? Si moreris juvenis, moriuntur cum vitia; si senex, morbi, & dolores.

35. Non tantæ bonitatis honor est, uti pinio fert, aut imaginatio fingit. Non nim quid opinentur homines, sed quid erum sit, refert. Nihil pensi habeas, si loquantur de te malè, qui nihil faciunt benè, loquuntur de omnibus malè. Si quod ictitant, verum est? non loquuntur malè: falsum? plus sibi officiunt, quàm tibi. u autem de omnibus benè loquere: turpe enim est terere vestigia malorum. Contemnere eorum dicta citissimè potes, impugnare, turpissimè, nequè absquè molestia.

36. Quid obest, non te laudent alii, cùm mereris? & si non merueris, quid prodest audari? Ama potiùs laudabilis esse, quàm laudatus. Ægrotus non sanatur, quod dicatur sanus; sic nequè exinde bonus eris, quod te alii bonum prædicent. Laus quidem absquè meritis vituperium est; at meritum absquè laude virtus honorque. Invidia semper virtuti comes est, atq; ipso odio, quo eam deprimit, exaltat.

37. Nunquam, quod toleras, videbitur grave, si onus tuum contuleris cum alieno. Vis non dolere? sufferas: tolerando, aciem malorum obtundis. Si à debilitate flecteris;

ris? Ratio te erig[illegible]t, & robur addat. Si ex culpa læderis? tolerando ſatisfacis. Si inſons es? vel ſic quoquè ferendum eſt, ne culpabilis fias. Culpa eſt non ferre, quod ferendum eſt.

38. Qui, quod deperierat, caſu amiſerit, modò ſe conſervârit, non habet, quod plangat. *Multos* perdidiſſent divitiæ, ſi non prius perdidiſſent illas. Verùm jam invaluit hic error, ut damnum judicemus, quod remedium eſt: putemus jacturam, ubi lucrum eſt. Qui nimium dolet amiſſas opes, jam penè ſeipſum amiſit. Plures perdidit ſubſtantia ſervata, quàm amiſſa. Qui pecuniam ſurripit, fur eſt, qui retinet avarus: qui expetit, pauper: qui deplorat, miſer: qui amittit, opinione ſuâ infelix; at forſitan inde felicior.

39. Stultè indignaris, quia, quod non ſperabas, evenit: ſperabas enim, quod nemo promiſerat. Nihil in humanis conſtat ſibi: ſuis duntaxat mutationibus fixa ſunt omnia. Stylus & curſus vitæ eſt, mala cernere, & pati. Nemini contigit felicem eſſe, & ſemper. Inſtabilitas fortunæ regularis eſt: nullum excipit ab ingenio ſuo. Pa[illegible]tic[illegible] [illegible] jacturam non cogites quid amiſeris, ſed qu[illegible] [illegible]d ſervâris. Qui perdit omnia, habet tamen [illegible] unde gaudeat, ſi amiſſis omnibus ſervârit ſeip[illegible] [illegible].

40. Non ide[illegible] [illegible]eputes bonum eſſe aliquid, quia

quia cupide ambiisti: nam sæpiùs per jacturam implentur vota, & felicitas procuratur illusâ cupiditate. Noli credere affectibus tuis: uti fallunt judicantem, ita confundent eligentem. Agendorum omnium regula & gnomen Ratio est: hâc amussi æquabis omnia.

DECAS V

41. Res mundi hujus jam eò vilitatis processerunt, ut careant splendore etiam fucato, imò vix habeant, unde fallant. Majoris proinde pretium operæ est, generosè illas despicere, quàm, quod solemus, sollicitâ industria procurare.

42. Vita nostra peccanti mors est: non peccanti nox: felici, hora unica; infelici sæculum: speranti somnium: virtuoso vita, ast fortunato brevissima, misero longa. Tempus, quod citissimè labitur jucundissimum est.

43. Compendio quodam molestias vincit qui facilè tulit. Ejusdem scientiæ est pati & vincere: utrumque patientia docet, cui se incassùm telis omnibus opposuerit fortuna. Discendo pati dediscimus miseriam.

44. Quemadmodum sensus omnes præsupponunt contactum, ita virtutes reliquæ patientiam: absque hac orphana erit virtus omnis, imbecillis, imò nulla: inde enim velut ex gremio, ac nido nascitur omnis operatio virtuosa.

45. Vis leniùs sentire, quod premit graviùs? applica voluntatem, id est, ferto li-

benter. Imminuit gravissima, qui sæpiùs tulit: ferendo attenuantur mala. Non solùm prudentia, sed & patientia plurimum experientiæ debet.

46. Assuesce paucis contentus vivere, & ditabis te pretio virtutis, eritquè solatio, quod aliis solet esse calamitati. Egestas enim non est virtus, sed amor egestatis. Illa gemit deesse aliquid, iste gaudet se plurimis non egere.

47. Qui paupertatis amicus non est, illi paupertas est hostis infensissimus. Omnia malorum genera in odientem effundit: nam præter ea, quæ habet sibi agnata, insuper instruit ad patranda majora. Non est malum, quod necessitas non attentet, detergens omnem ruborem virtutis, & excutiens verecundiam audendi.

48. Divitiæ de se malæ non sunt, sed contemptibiles, & periculosæ: solus usus eas honestare potest. Res optimæ absquè usu suo pessimæ fiunt. Quantis usibus aptus est ignis! at pyrio junctus pulveri, quæ non mala conciliat? Affectu nostro opes vitiamus, usu restituimus. Si vis, instrumenta virtutis sunt, aut manubria vitiorum.

49 Pessima quæquè patrârit aurum, nisi in manus bonas reciderit: tunc solum bonum est, cùm alienatur. Ut prosit domino suo, dimittendum est: servatum pessimè nocet. Quamquam dubitem, uter plus

ſus ſaudis mereatur; qui accipit, an qui onat?

50. Opulentiam Bion appellavit vomi- im fortunæ: quaſi ructaret, quod nimium t; vel rejiceret, quod vile. Quemadmo- em enim, quod cum violentia regurgi- mus, impurum eſt, ita quod fortuna do- at, infidum.

DECAS VI.

51. Alienum reputa, quidquid bono- ūm mundus habet, aut pollicetur: uni untaxat virtuti propria eſt fortuna. Ne di- eris: perdidi hoc aut illud: nam nihil tu- m eſt, mutuata omnia. Noli dicere: li- eros perdidi, ſed dic: reddidi. Habebant li, cujus eſſent magis, quàm tui: apud e precariò morabantur. Nequè dicas: pe- uniam perdidi: potiùs gaude, quia jam on debes. Mutuatum bonum erat; red- ndo, te liberas debito reddendi.

52. Nihil intereſt, pro quo Creditor exi- at pecuniam, dummodò debitor exſolvat. Quid tuâ refert noſſe hominem, pro quo Deus recipit, quod tibi mutuârat? an pro mico? an pro hoſte? an pro merente? aut eſſimo? Satis eſt te debuiſſe, & Credito- em recipere, quod ſuum erat.

53. Ille ex vero Dominus eſt, qui *juxta* quod placet, aut diſplicet, agit, diſponit- e. Hoc tu non vales, niſi cùm virtuosè gendum eſt. De virtutibus liberè diſpo-

fueris, non de fortunæ bonis: quibus si volueris dominari, cogêris famulari, factus mancipium alieni arbitrij.

54. Efficere, ut nihil tibi eveniat mali, rara foret sapientia, rara felicitas. Porrò istud tuæ potestatis est, ut casus adversos ritè excipias, & de malis bona distilles. Præter malum culpæ nullum aliud est, quod sub cortice non operiat aliquid boni.

55. An cuperes dives esse, si una fieres mancipium Tyranni? Quis rerum omnium abundantiam, aut plura etiam Regna præposuerit libertati? At verò quam censes, ex duabus pejorem? animi an corporis servitutem? Eam haud dubiè quæ meliorem tui partem subjicit. Nunc igitur scias velim: animi veram libertatem sitam esse in contemptu divitiarum.

56. Nunquam non memineris te hominem esse, & quæ tibi evenerint, inter casus humanos numera. Necesse est, eveniant quandoquè adversa; verùm expedit inde non moveri, nequè magis, si videas in te incurrere, quàm in alios. Mutilatis manu: quid interest? res est, quæ pluribus contigit. Ad summum dici poterit casus.

57. Non quidquid boni speciem habet, illicò concupiscas; adeò nempe absorptus in finem, ut quibus mediis eò pertingas, non advertas. Variis locis orbis delicias

po-

posuit, at quæ te via illo duxerit, vel ardua est, vel nulla. Sit licet bonum, quod appetis, si frui non potes, nisi blandiaris alteri, vel inquietes te, præstat negligere.

58. Calamitatem cave, uti malam despexeris; sed venerare tanquam principium boni. Non te terreat species externa: nam & homo cùm auspicatur esse, formam embrionis refert; at quantæ rei hoc modicum initium est?

59. Noli sapere cum vulgo, nequè verum credas, quod æstimatio popularis dictârit. Æstimanda sunt judicio, non numeranda. Non exinde, quia vides jucundari aliquem, illicò dixeris: magnum illi bonum obvenit. Neque ideò, quia tristatur aliquis, judices malum ingens incurrisse. Usitatissimum est nos apparentiis falli, & quosdam gàudere in malis, alios dolere in bonis.

60. Ex fine judicandum est de rebus. Si ad bonum tendant, tametsi principio videantur malæ, bonæ sunt. Si ad malum deflectant, non obstante quod benè cœperint, malas esse necesse est. Quidquid brevi fine clauditur, modicum est, duratione res taxandæ sunt, non quantitate.

DECAS VII.

61. Ratio bonitatis fundata est in operatione bona, id est, in virtute, quæ cùm nihil fortunæ debeat, nihil quoquè ab invidia

pa-

pavescit. Extra jus utriusque est: nihil fortuitum videt, nihil timet adversi. Id totum in manu tua est; & quemadmodum â mortalium nemine hoc thesauri expectes, ita quoquè nulli invideas. Non reputa felicem, quem fortuna beârit: periculum, quô laborat, commiserationem meretur, non invidiam.

62. Cùm videris honore aut opibus pollentem aliquem, non continuò asseras; hic felix est; dicito potiùs: hic periclitatur esse infelix. Cui nihil aut parum domi est, caret isto periculo. Si quæ mundus offert, aut opinio fingit, reipsâ bona forent, id tamen haberent mali, quod causa essent malorum.

63. Nemo livore tangetur in alios, nemo vilipendet, quisquis non ad id, quod modò sunt, sed qui fuerint aut futuri sint, oculos reflectat. Ille prædives est, & opibus abundat: forsitan brevi visurus es mendicum. Ille Magistratum tenet & honoribus fulget: quid si obscurus carcer eum excipiat? Iste pauper est, & Iro abjectior: quis novit, si non perendie ejus ope egueris?

64. Si quereris te immeritò non evectum eò, quò pessimis artibus penetravit palponum aliquis; aut æquas illum malitiâ, aut novam committis. Res mundi hujus nemo gratis comparârit, omnes pretio valent: moneta currens adulatio est. Si cum hac non

non licitasti, quid miraris, si nemo dederit. Hæ merces alio pretio emi non solent. Quod si & tu hunc nummum porrexeris, exitio tuo scies, quid emeris.

65. In venditionibus consuevit dari aliquid, & accipi aliquid; at qui nihil emerit, nihil quidem recipit, sed & nihil amittit, retinens quæ habeat. Quid quereris, tibi non præberi, quod dari solet in exitium petentium? sufficiat, quod nuper possideras, & quod interitu ereptus sis: quòd in adversa duraveris animum: quòd vilia despexeris, id est, merentia despici.

66. Quis adeò mentis est inops, ut quò vestem comparet, se vendat in mancipium? Et tu animum servituti addicis, ut corpori mollius sit. An nescis hujus sagina* illum attenuari? Quod si in hac procuranda laboras nimium, jam mancipium es ejus, quod deperis, punitus merito tuo, & animâ vinculis mancipatâ, tametsi corpus liberè deliciis vacet.

67. Res inter humanas laudabilius nihil, ac animus despiciens laudis, & gratis serviens virtuti. Nihil illa præter se pretiosius habet, sine muneribus & arrhis temporalium, sui valor & merces. Major rerum usus contemptus est, major & fructus. Nam usus dominum sequitur: nullus autem ex vero rerum dominus, nisi, qui contemnit. Qui deperit, non dominus sed

servus

servus est: non possidet, sed possidetur. Quò majores res fingit opinio, eò major est animus vilipendens. Honore nihil magis æstimari solet, illo igitur major est, qui contemnit,

68. Mundi bona sunt instar urticarum, quæ de longinquo virore placent, sed tangentes urunt, & morsicant. Dum speres, & quasi â longe videas, bona videntur: ubi frueris, pungunt, & vulnerant. Quæ divitiæ curis? quis honor ignominiâ? quæ voluptas acerbitate suâ caret?

69. Stultus semper desiderat, immemor eorum quæ habet, licet cupitis meliora: quasi præsentibus offensus ad absentia properat, illis quoquè, ubi adfuerint, irritandus. Nullius fruitur, & omnibus inhiat, suismet ipse torquetur votis.

70. Malè concupieris illud, cui omnes insidiantur, & quod à nemine securum est: multitudo ambientium officit, ne obtineas: numerus invidorum, ne quietè possideas. Res terræ hujus montanæ sunt, & instar ferarum: quò magis accesseris, eò fugiunt magis: ambientem declinant.

DECAS VIII.

71. Non est Sapientis appetere, sed velle: non timidum esse, sed cautum: non voluptuari, sed gaudere. Nihil desideret, nisi cum ratione: cautè præveniat, sed cum quiete: liberè gaudeat, sed cum honestate:

de nullo doleat nisi de peccato; quinquam ubi ratio adest, peccatum adesse non debet.

72. Virtuoso ea præ cæteris prærogativa est, quod inter ipsa tormenta felicitate non careat. Non judicat esse malum, unde non redditur malus. Culpam timet, pœnam suffert, voluptatem fugit, & totum fortunæ imperium pro nihilo habet: solâ patientiâ armatus in omnem ejus tyrannidem audet.

73. Ut fortuita non te commoveant, maturè prævideas: eveniant, præter voluntatem, non præter opinionem; si non prævolita, sint saltem prævisa. Non velis te exemptum calamitatibus humanis, sed erroribus. Quidquid statueris, hanc appendicem addito: *Nisi casus adversum aliquid immiserit*: non quòd timeas iram fortunæ, sed ut prævenias.

74. Licet eventus non adversetur consiliis, si tamen non respondeat optatis, etiam ex hoc modico torquetur animus. Qui quod sperat, non præfixerit certò eventurum, molliùs fert vota sua illudi.

75. Convenit in id advertere, quod evenire potest, non quod solet. Mala quæ in aliis mollit assuetudo ferendi, in te enervet cautela prævidendi. Non solet nauta, dum cœlum aspirat, & aura blanditur, clavum deserere, aut remos abjicere: semper parata habet, quibus tempestati occurrat.

Ita sapiens, dum sors afflat benignior, non sit immemor adversæ. Etiam tela fortunæ non feriunt prævisa.

76. Genus libertatis est servire sapienti, uti species servitutis, imperare stultis. Qui desipit, duplici malo obnoxius est: insipientiæ, quâ gravat seipsum, malitiæ quâ cæteros. Veluti enim sapiens supplet ingenio, quod deest facultati, ita stultus prudentiæ, quâ caret, supponit malitiam.

77. Amentibus hæc propria esse Aristoteles scribit: *Facilè ac perperam judicare; præproperè mentem edicere: nolle uti præsentibus: de rebus vitæ honestis ac bonis malè opinari.* At ego majoris longè insipientiæ esse autumo, nosse bonum, & tamen facere malum.

78. Non sapit ille plurimùm, qui novit plurima, sed qui, quæ novit, sapienter disponit, non qui explanat recondita, sed qui inquirit in vera: non qui ratiocinatur multum, sed qui appetit modicum: qui affectus suos contrahit: qui seipso contentus est, & â fortuna independens.

79. Beatus ille, qui pluribus non eget, ut contentus vivat, quàm ut vivat. In hoc egemus cibo, somno, veste, alioquè apparatu: in illud sufficit animus utriusquè fortunæ contemptor, æstimator cœlestium, Deiquè æmulator, qui absquè accessu alterius boni seipso beatus est.

80. Vis rebus omnibus dominari? contemne. Non parvus rerum uſus contemptus eſt: quin & domini; pars melior non poſſeſſio, ſed uſus, & fructus. Uti rebus nemo melius, quàm virtuoſus noverit, nemo magis de illis gaudere? nam major ejus uſus, contemptus eſt. Cæterùm quid poſt longum rerum uſum haberi ſolet, niſi faſtidium earundem? idem habet ante felicitatem, qui contemnit.

DECAS IX.

81. Nullus magis ſervus, quàm improbus, nemo magis ingenuus, quàm virtuoſus. Quæ enim libertas major, quàm vivere uti velis? hanc nemo tibi ſuſtulerit. Vitioſo ſors iſta non evenit, ſubeſt dominio cupiditatum. Lex ei interdicit, quod appetit, & quod appetendum foret, vitia impediunt. Qui ex virtute vivit, ductumque rationis ſequitur, illum nihil de propoſito deturbabit.

82. Libertas nemini major contigit, quàm qui velit, quod Deus vult. Hujus voluntati nihil adverſatur: ſemper enim exequitur ſuam. Ille verus ſui dominus eſt, qui voluntatem accommodat rebus, non rès voluntati. Qui ſecum ipſo, uti vult, diſponit, hic perfectè liber eſt.

83. Malus tametſi imperet, ſervus eſt: bonus, etiamſi ſerviat, Rex. Illi non unius hominis ſed multorum vitiorum mancipi-

cipium redditur: iste sui Dominus est, & Monarcha suarum cupiditatum Quid enim est imperare, nisi pollere potestate alteri non subjecta? Hanc solùm, ait Chrisippus, reperire est in sapiente.

84. Patientia efficit, ut injuriæ non sentiantur: charitas, ut non inferantur. Si præter virtutem aliud non æstimes bonum esse, nec molestia quantavis videbitur mala, nec ullum infortunium grave. Non reputes te infamari ab eo, quod alter dixerit, sed quod tu patrâris.

85. Nolim, studeas placere omnibus: age potiùs, quod paucorum est. Fac satis conscientiæ tuæ, & quid alii blaterent, nihil pensi habe. Laus est, malis displicuisse. Interest, quis opera tua probet, quis sugillet. Præstat enim placuisse sapientium aut bonorum uni, quàm integro mundo malorum. Sensatissimè, Philosophorum aliquis: Non eris felix, nisi te populus irrideat.

86. Assuesce semper benè agere: quia fama magnis impensis alitur; nequè ulli morbo tàm ægrè medeberis, uti existimationi læsæ. Sors est eam adipisci: sine industria nequit conservari.

87. Innocentissimè sese ulciscuntur probus, & improbus: ille si persistat probus esse, iste si incipiat. Felix vindicta! quæ sine partium præjudicio novit prodesse.

88. Si, quod adversum te dicitur, verum est?

est? gaude te admoneri: si falsum? reputa te commendari, & infensum tibi, cùm non haberet, quod objiceret finxisse. Hoc laudari est, non infamari. Nam apud Sapientes, laus, â perverso vituperatio est; injuria, commendatio.

89. Cur annuis tàm facilè calumnianti te, & exples vota volentis malè? Irasceris; quia te iratum vult. Exprobrat tibi, ut te irritet, non ut corrigat. Ulciscere te, frustrando votâ ipsius; id est, emendando te, non indignando, sed dissimulando, quasi læsus non fueris. Sapiens injuriam non accipit, sed fert.

90. Si non potes mederi rebus, medere tibi ipsi, mitigando sensum aut contemptu illius, unde ortus est, aut advertentiâ incommodi, quod post se trahit pœnitudo rei jam non reparandæ. Quod si & damnum irreparabile sit, cave ne idem eveniat tibi. Potest ab alio casus inferri, cui remedium non sit: ut mederi nequeas passioni tuæ, nemo nisi tu ipse causaveris.

DECAS X.

91. Vitium iracundiæ sibi ipsi adversatur: tollit enim Rationem, ubi Ratione maximè opus est. Quo enim casu requiri magis judicium putes, quàm ubi vel amentiâ liberandus es, vel periculo immani? Quæ autem dementia major, quàm ut ulciscaris te de alio, periclitari de vita tua?

Vulnus tuum non claudis, si aperias sævi-ori ictu alterius latus. Damnum, quod putas tuum, non sarcit vindicta alieno.

92. Si appetendo vindictam nihil egisti, quid superest nisi rancor, & dolor? Præbuisti enim nova arma hosti tuo, id est: ansam se vindicandi; atquè adeò idem erit supplicium, & vindicta; dumquè ultionem infers, ultionem pateris.

93. Premeris egestate? sed inde securus es: hoc opulentis evenire non solet. Sufficeret alterutrum; at tu meliori loco es: quia pejus videtur periclitari de vita, quàm in modico molestari.

94. Noli illud ambire, quod cùm obtinueris, æquivalet amisso. Aurum simile est noxio humori, qui si non consumatur, consumit. DEO suo infidelis est, qui de eo quod superabundat, non dispergit in illos, qui necessariis carent. Data sunt à DEO, ut darentur.

95. Quæ dementia! ut nemini subjectus sis, te mancipium fieri nummorum. Si subijci oportet, minoris certè infamiæ erit, subiici homini, quàm metallo.

96. Ambitiosus, ut imperet hominibus, subdit se vitiis, & passionibus obedit. Qui causam suam credit fortunæ, malum eligit Advocatum. *Meliorem* fidem tibi Virtus præstiterit: cum ea non curabis, quid sors attulerit; satis erit, si imperes tibi.

97. Ab ira Fortunæ tuta mediocritas est: usualem illam reddit, & sistit. In magnis censibus multa superflua sunt, omnia suspecta. Præstat non periclitari, quàm abundare. Tametsi in quosdam prodiga sit fortuna, nemini tamen, qui plus cupit, quam egeat, datura est satis.

98. Non inde te æstimes, quòd vilipensionem aliquam tuleris moderatè: non plus virtutis habet patientia tua, quam cupiditas ambitiosi, devorantis mille contumelias, ut potiatur optatis. An gloriaris virtutem tuam similem esse alterius vitio? quanti est, si sufferas pro bonis æternis, quod tot alii tolerant pro caducis!

99. Melius est non affligi, quàm solatium accipere. Quæ in mundo universo voluptas? quod gaudium tale, quo vel unicus capiti tuo canus auferatur? At molestia non gravior te facit una senem. Prudentis est, servare sese casibus, in eventus instructum esse, absq; ambage solatiorum placidè quiescere, & optatissimâ pace gaudere.

100. Calamitas querula est, felicitas superbit. Nulla est conditio, quam non infestet vitium aliquod, nisi ubi virtus dominatur. Qui sistens in medio extremorum damna sapienter evitat, qui adversis non dejicitur, nec prosperis elevatur; hic adipiscendæ virtuti proximus est.

DICTAMINA CHRISTIANA.

DECAS I.

VAlor eſt rerum, utilitas ejus uſus. Cythara non ſonat niſi pulſata, & fax extincta non illuminat. Non omnes norunt Fide uti; neque multi, uti par eſt, vivere in illa. Verâ quidem Religione gaudent Catholici, ſed uſu ejus duntaxat boni, vitâ juſti. Quid prodeſt tàm grandis poſſeſſio, ſi careas uſu fructu?

2. Res meritò deploranda! adeò nos incautos vivere, ut minor cura ſit luminis Fidei, ac lucernæ. Ne in noctis obſcuro deviemus ad cœnum, auxiliari lumine præcavemus; ne quis in denſiſſimis mundi hujus tenebris æternitatis diſcrimen adeat, aut præceps corruat, nemo eſt, qui Fidei facem admoveat.

3 Qui non operatur benè, Fidem habet otioſam: qui operatur malè, mortuam. Non quieſcamus in hoc, ut cæleſte illud donum inhæreat nobis; agamus, ut & appareat eſſe. Dum animæ ineſt, donum eſt, dum in opus tranſit, ſanctum. Non ſufficit eſſe in intellectu; ſit & in manibus. Per illum credimus verà, cum his credimus verè.

4. Cha-

4. Charitas vita est Fidei; inde animatur, & noscitur esse, Non satis est, Christiane! ut sis fidelis, opus est esse justum quoquè. Quid honoris Deo obvenit â malis? quid boni â mortuis? Justus est, qui ex Fide vivit, vivit verò per charitatem: quemadmodum corpus ex cibo vivit, sed mediante animâ, quæ vivificat corpus.

5. Non solùm ut credas, Fides proficit; prodest ut & intelligas, & opereris. Quem veritates æternæ convicerint, non potest non malè sentire de temporalibus. Qui verò utrumquè conjungit, ille enimverò opera præstiterit Christiano digna.

6. Auxiliari vitro, quo brevior visus adjuvatur in corpore, eodem mentis acies hebetatur. Oculus animæ Fides est, ocularia passiones: per has quidquid intuitus fueris, colore vitri imbutum credes. Sed acutus est oculus Animæ, si expers passionum sit, pravisquè affectibus liber; non eget fallaciâ vitrorum.

7. Qui vel oculis obligatis, vel per obscuros meatus ducitur, acie licet optimâ instructus, negliget tamen perfacilè, quidquid ei vel pretiosissimum occurrerit. Idem evenit Fidei lumine imbuto, qui ductum illius non sequitur.

8. Si res contueremur oculis Fidei, non sensuum, aut opinionis, minus foret, quod nos affligeret, & plus quod felicitaret.

Fal-

Fallimur non luminis defectu, sed admixtione.

9. Fidei dogmata non solùm in seipsis certa sunt, sed & in eo quod pollicentur. Qui ad aliud lumen objecta expenderit, videbit nihil, & instar cæci oberrabit.

10. Non ineptè dictum fuit à quopiam, intentionem veluti sagittam rectà tendere ad scopum. Quod si autem sagittarius orbus sit oculis, quò se telum feret? Quem Fides non duxerit, toto sanè cœlo aberrabit.

DECAS II.

11. Sensus noster similis est trigono: hoc reddit objecta quidem, sed inversa, confusaquè colorum serie, tametsi visui non ingrata. Vix aliter judicamus de rebus; invertimus, & alias reddimus ac sint. Quod mundus honorificum censet, vile est; cui felicitatis famam attribuit, calamitosum. Errori huic nemo alius, nisi Christi doctrina medebitur.

12. Emorientes prunas sufflando excitas: redanimatur & Fides exercitio veritatum, quas illa docuerit. Quis intendente se gelu non accedit ad ignem? Plus omni frigore constringit animum pavor æterni Numinis; ei mitigando Fides proderit, & inflammabit amore vehementissimo.

13. Prunæ jam cinere suo obductæ non ardent amplius: videas quoquè Fidei Lumen

men exinde non fulgere, quod pulvere rerum temporalium sese obvolverit. Sordeat illi tellus necesse est, qui purissima cœli dogmata menti suæ cupit inscribi.

14. Quis dubitet, dare pollicita, quàm danda polliceri difficilius esse? Inde reperias quàm plurimos, in cruciatus & mille mortes pro Fide inflammatos; ast ubi voluptas allicit, aut sensus invitat, cereos, & in lapsum pronissimos. Ingemiscunt ab aliis Numen offendi, ignari â se coli Idola Cupiditatum.

15. Sapientis cujusdam pronunciatum est, pluris esse semel dedisse, ac bis promisisse. Ego verò dixerim, præstare longissimè opus virtutis unicum, sed certum, proposito duplici, dubii eventûs.

16. Spes alimentum est vitæ. Quod si humana, quæ fallax est, alleviat, & solatur nos in oneribus, quibus hic gravamur; quanto magis Divina enervabit omnem sensum, & acerbitatem doloris.

17. Usum spei Divinæ convenit Christiano perspectum esse, ut noverit, qui & quâ parte adhibenda sit. Quorundam lapidum hoc pretium est, quòd cordi appressi mæstitiam tollant. Spes firma in Deum docebit te semper gaudere, soloquè, quod speres, cœli obtutu, malorum omnium, quæ terra minatur, iisdem profligabis. Solà illius oblivione pateris; illuc everte animum,

mum, & desines tristari. Non affligeris nisi ex culpa propria.

18 Metuentibus Deum, misericordia promittitur, eisquè certior est, ac sperantibus in illam, aut peccando præsumentibus de illa. Potest pœnitens sperare veniam, præsumptuosus non habet, quod metuat, nisi pœnam.

19. Præsumens de misericordia Divina plus periculi habet ejus amittendæ, quàm spei obtinendæ. Temeritatem dixerim Diabolicam, non virtutem Theologicam.

20. Spes certa vicaria possessionis est, & præcox dominium. Miles Alexandri omni possessione in patria relictâ, roganti, quid sibi reservaret: *Spem*, inquit, *acquirendorum*. Rem mundi omnem non ægrè dimiserit, cui spes est melioris adipiscendæ in cœlo. Totum licet abjecerit, adhuc habiturus est abundè.

DECAS III.

21. Obstupescimus Alexandri animum, ambientis non unius orbis possessionem. Amplius aliquid audet Spes Christiana; tentat etiam occupare cœlum.

22. Nimiùm se abjicit, qui temporalium bonorum vel spem sibi facit, vel alit. Rusticum votum hoc est, non mentis ingenuæ; & qui cœlum ob ista fatigat, præsumit uti DEO, quasi trapezita suæ cupiditatis.

23. Non

23. Non tanti eſt mundum univerſum lucreris, quàm ſi ſalutem tuam expetas per merita Chriſti. Si perſeveranter id egeris, jam poſſeſſor es cœli: adeò æquè certum eſt conſequi, ac petiiſſe. Quid plura? DEI verbum eſt pollicentis ſe daturum. Quod ille affirmat, veritatis eſt infallibilis; quod ſpondet, certa ſecuritas.

24. Fallax eſt ſpes omnis humana, certiorem fidei-juſſorem non habet, quàm, quæ pro ea ſpondet, fortunam. Vide cui baſi inſiſtat? Quàm firmioribus longè ſuſtentaculis innititur ſpes Divina! Bonitati Numinis, meritis Redemptoris, & patrocinio Virginis.

25. Sat benè dotatum filium relinquit pater, qui in campo occumbens militaris officii ſcribit hæredem: inde enim Reges obſtringi ſolent ad præmiandum. Hæreditas noſtra ſunt m[illegible]ta Chriſti; per illam obligamus Deum ad remunerandum, quidquid agimus.

26. Diligere Deum multorum eſt, vere diligere paucorum. Amare enim arduum nemo dixerit; aſt amare ſuper omnia, hic punctum, & difficultas. Illud ad ſummum dixerim benè velle, hoc verè amare; ad quod facilitandum ſola valet gratia Divina.

27 Amare, à quo non poſſis amari, erroris eſt: amare à quo poſſis non amari, periculi: amare à quo non poſſis non amari, ſi

ames, securissimæ est felicitatis. Porrò errorem illum reperias in amore temporalium, periculum in amore hominum, securitatem in amore Dei.

28. Amare Deum, quia creavit nos, observantia est filialis: amare eundem quia redemit nos, obligatio est servilis: amare illum, quia cœlo donaturus est, lucrum est gloriosum: amare, quia amat nos, gratitudo necessaria: amare, quia nobis bonus est, benevolentia justa: amare, quia est, qui est, subtilitas amoris, complectens nomina omnia, observantiæ, obligationis, lucri, gratitudinis, benevolentiæ, & respectûs.

29. Fides est fenestra cœli, spes scala, charitas sola ascendit, & cœlum subintrat. Per fidem intuemur â longè, quæ orbis alter obtecta tenet. Per spem elevamur â terra, ut subeamus cœlum. Per charitatem ingredimur.

30. Christus est titulus gloriæ, & syngrapha nostræ salutis. Prô quanti æstimatur folium unicum divite censu inscriptum! & quâ non solet solicitudine asservari! Non minorem curam, aut æstimationem nobis imponat pretiosissima charitas, cui inserta est executio prædestinationis nostræ.

DECAS IV.

31. Esse infame habet culpa, omnem superans malitiæ nomenclaturam. Pæna potest

potest esse horribilis, at non mala. Peccatum malitiâ excellit barathrum inferorum. Non est exaggeratio, quod Anselmus dicebat, sed obligatio Chirstiana. *Si unâ, inquit, parte sese objiceret peccati fœditas, alterâ terreret inferni horribilitas, cogeretquè alterutrum sustinere; priùs me ad inferna devolverem, quàm peccati labem admitterem.* Maluisset nempe absquè peccati noxa subire infernum, quàm contractâ maculâ cœlo recipi.

32 Amor spolium est Divinitatis: meretur totum, quidquid est Dei. Odium pro Lancea habet, quo peccatum configit. Hoc tàm horribile monstrum nemo propè accesserit: feriendum est â longè, id est, quâ nocere consuevit, occasio tollenda. Proderit hic Parthorum ingenio uti, id est, fugiendo ferire.

33 Bannitus latrocinatur in viis, dæmon in occasionibus: utriquè isthic feliciùs præda obvenit. Peccandi occasio æquè fugienda est, ac specus draconum: tutiùs hi delitueris â morsu bestiæ, quàm ibi â vulnere peccati. Quid dicam? occasio spelunca est Sathanæ, os inferni, insidiæ habitantis peccati,

34. Nemo læditur, nisi à seipso. Nihil enim nobis nocere poterit, ac culpa peccati, ad quam nemo invitus cogitur. Idcirco qui sponte se vulneri objicit, suæ causa c[illegible]

læsionis. Cæcutit mundus ad hanc lucem veritatis. Verùm quid fulgoris decedit Soli, quod cæcus eum non videat?

35. Falsa est impiorum jactantia: *peccavi & nihil mihi accidit triste.* Sanius est, quod consulo: non pecces, & nihil non obveniet boni. Quem peccatum non afficit, inter calamitates felix est. Idem reputa inculpatum esse, ac fortunatum.

36. Quorsum mentis ingenuitas, aut generosa, quâ imbuimur agendi methodus, nisi cum Deo utamur? Tametsi ille æternum ignoraret culpas nostras, non tamen committenda foret vel unica. Tàm serviendum Deo est propter seipsum, quàm fugiendum peccatum propter idipsum.

37. Deus propter se solùm amandus est. Idem penè peccatum habet. Licet non foret Dei offensa, seipso tamen abominandum esset. Adverte Christiane! quid Ethnicus dixerit: quantumvis constaret mihi, ignoraturos homines, Deumquè condonaturum, non delinquerem tamen, solùm ob peccati turpitudinem.

38. Commendatissima devotio est, colere Virginem in precatoriis corollis. Hanc longè excesseris abstinendo â peccato, quo scilicet denuò crucifigis filium illius. Anne possibile censeas, Matrem ab illo diligi, qui in ejusdem conspectu nulla ex causa filium perimit amantissimum.

..b.

39. Sublimiora dogmata Christianus habet, quàm Philosophia dictârit. Discedere vel unguem â mensura temperantiæ, Aristoteles vitium judicavit. Nobis pœnitentia virtus est, quâ docemur profectum animæ, sanctè redimi corporis jacturâ.

40. Virtus, non negârim, medium teneat oportet; at perfectio *Evangelica* plus ultra se extendit, & attingit etiam extrema. Lex rationis est mentibus insita: alteri non feceris, quod tibi fieri non vis. Evangelium supereminet Rationi: vult â te proximo fieri, quod non cuperes fieri tibi. Nunquid non verus Christi discipulus honorari vult proximum suum: ipse despici, & vilipendi? benè & molliter haberi alios, se tractari rigidè, ac severè?

DECAS V.

41. Si nasci hominem absquè manibus, monstrum est naturæ; nunquid erit monstrosum magis, manibus integris nunquam uti? imò, ne vel semel attollas, mortem potiùs oppetere? Manus fortissima est Fides, quæ facili nisu levat pondus totius æternitatis. Manus longissima est spes, extenta pertingit ad cælum usquè. Hac geminâ virtute, veluti totidem manibus instructi simus Fide libremus pondus gloriæ cum mundi vanitate. Spe firmâ adhæreamus cœlo, ut Charitas accipiat coronam suam.

42. Plus debet Christianus pro minima inspiratione à Deo ipsi immissâ, quàm omnes Angeli pro universa gratia, & gloria, quâ dotati sunt. Pro hac non opus erat sanguinem fundere; verùm ut vel unicâ cogitatione sanctâ homo imbueretur, Christus mortuus est in Cruce. Pro inspiratione unica debemus DEO pretium infinitum, quia ob illam obstringimur meritis Christi, pretio & dignitate infinitis. Prô quantum debitum! simus, quæso, fideles Deo, ut aliquantum satisfaciamus illi, qui tám solers fuit, ut benefaceret nobis.

43. Si Deus fuisset mancipium, & homo Deus, non potuisset (ita differit S. Thomas) plus fecisse pro illo, quàm nunc præstitit. Redemit enim homines, non Angelos (adverte beneficii magnitudinem!) factus homo, non Angelus. Quanta dignitas humanæ conditionis! & quàm insipiens, qui ad aliam anhelat in mundo!

44 Ergonè homines pejus tractent Deum suum, quàm spiritus damnati? illi unico peccato, eoquè cogitationis duntaxat offenderunt DEUM; at nos in quantis delinquimus non cogitatione solùm, sed opere, eoquè multiplici!

45. Cha, herba Indica, repurgando stomachum, reliquo corpori vires dat, & alimentum. Qui delinquendo delinquitur, regerat confitendo peccata sua, seque restituet

stituet vigori pristino. Herbam illam depereunt Indi, & utuntur quotidie; & qui Christianus non appetit Sacramenta, pharmaca immortalitatis, saltem quot hebdomadis sumenda?

46. Qui uti par est, *Sacramenta* frequentat, aut semper est in gratia DEI, aut potiori tempore. Non est profectò exile bonum, minùs aut nullatenus periclitari, ne mors inopina peccato subjectos obruat. Securitatem hanc præstant illa pignora salutis.

47. Utendi hoc mysterio terminum optimum statueris octavum quemquè diem, si culpâ lethali careris. Huic enim si obnoxius sis, punctum omne mora est longissima; saltem ne differto in crastinum. Quæ enim temeritas foret cum peccato obdormiscere, & actualem DEI inimicum omni momento periclitari?

48. Cura corporis longissimè differt â medela animæ. Illa sumptuosa est, hæc proficua. In Sacramentis utrumquè habes, & medentur, & ditant. Æger corpore, dum sanus fiat, non curat egenus effici; & quomodo infirmus animo non totâ cupiditate anhelet ad salutem simul, & divitias.

49. Sæpe medendi ratio pejor est ipsâ ægritudine, Dolor dolore pellitur, & plus sæpè torquet ferri sævitia, aut potionum

amaror, quàm vis morbi acerrima. Aſt medicamenta animæ ſuavia ſunt, leniunt, & medentur. Quid times adire Divina myſteria? non proliciunt ſanguinem, non urunt, non ſecant.

50. Benè operare, dum tempus eſt. Nam in extremo illo die, quo neque proderit pretioſiſſimus Chriſti ſanguis, neque aderit interceſſio Virginis; quo terra fugiet, cœlum recedet, uti ſcriptura loquitur, tunc ſola quæ feceris, aſſiſtent opera bona.

DECAS VI.

51. Parùm differt â deſperato, qui obfirmavit vivere absquè alimento. Deſperatio eſt defectus orationis in Chriſtiano. Hoc illa eſt animæ, quod cibus corpori, imò ut cùm Chryſoſtomo loquar, ipſa anima animæ. Non ſperet ſe diu victurum in gratia, qui non ſe continuò ſuſtentat oratione.

52. Nolle edere cùm habeas, deſperatorum eſt, aut inſanientium: non poſſe edere, ægrotorum; non edere, egenorum. Oratio cibus eſt animæ; qui inde non alitur, vel gratiâ pauper eſt, vel ſpiritu æger, vel mente captus, aut demùm deſperati inſtar damnationi proximus.

53. Si cœco diceres, Regem coram adeſſe; nonne componeret geſtus omnes in reverentiam? Quid refert non videri à te Numen, quod colis, ſi noveris tibi adſtare? Fides, non oculus, venerationem imperat.

Uni-

Unica vox Angeli totum Iſraëlem contervit. Propior tibi DEUS eſt, ac vox illa populo: cur non adoras Majeſtatem? cur non trepidas? non concuteris?

54. Quis ſervorum tantâ ſedulitâte famulatus eſt hero, ut ab ejus latere nunquam abſceſſerit? Omni vitæ tempore penè dixerim in mancipium habuiſti cæleſtem ſpiritum, nullo unquam momento morum pravitate abſterritum. Numera annos hujus obſequii, forſan ſexaginta; ſint decem duntaxat: nonne multum eſt ad gratitudinem? Et tamen vix memoria eſt tàm exquiſiti obſequii, tàm obſequioſi amoris!

55. Admiranda fuit memoria Mithridatis viginti duarum linguarum tenax: præſtantior eſt, quæ unius Mortis nunquam non meminerit: prodigium ſit aliquando oblivifci. Unicum temporis punctum, quod decurrit æternitas, curas omnes exhauriat totius vitæ. Vivimus enim reſpirando, penè dixerim expirando, id eſt, imagine animæ agendæ. Quoties igitur reſpiramus, toties mortis meminerimus.

56. *Mors* à longinquo efficitur bona, adverſo naturæ more, quæ agentibus vult materiam adeſſe, ut queat laborari. Mors, ubi præſens eſt, raro redditur bona, fieri bona vult, antequam adſit. Periculoſum eſt tùm mori diſcere, cùm moriendum eſt.

57. Si

57. Si medicamentum prostaret, quo defuncti reviviscerent, quid non prodigeres in illud? Medela animæ hoc virtutis habet, resuscitat mortuam, & vigori suo reddit. Hæc gratis venditur, & nemo comparat.

58. Curam animæ, quam Deus imposuit, non exples tollendo duntaxat peccatum: exscindenda quoquè sunt vitia, damna avertenda, radix evellenda. Culpas tollit confessio, passiones mortificatio. Hæ radices sunt damnorum, damna culparum.

59. Quis ambitiosus commutaret Romanum Imperium pro arenis Arabiæ desertæ, cujus dominium aliud non haberet, nisi calcando, & itinerando per illas? Vesanior est commutatio, quam appetitus facit. Prodigit cœli inexhaustas opes pro tantilla voluptate, & sterili gustu.

60. Christiani prima solicitudo circa animam sit oportet, sed prô dolor! consuevit esse postrema. Omnia magis curamus, quàm nos ipsos: & tamen cura damnabilior nulla, quàm quæ corpori impenditur. Quidquid huic dederis, Animæ tollis, hujusquè dispendium illius est augmentum. Si ex æquo facienda est divisio, dimidium diei continget animam; ut quid ergo totos impendis corpori? Quin & auctarium aliquod tribuendum foret Animæ, cujus scilicet jactura non nisi unica est, & illa æterna.

DE-

DECAS VII.

61. Quod Deus statuerit, noli reprobare, nequè unquam malè acceperis. Quidquid doloris immittit, aut molestiæ, ejus honori sit & bono tuo. Potiùs exulta de illius gloria, & pro beneficio gratias habe.

62. Amare Deum naturâ suâ infinita est sanctitas: facere, ut ametur ab hominibus, virtus heroica: cùm actu amaverint, beatitudo invisibilis.

63. Opera Christi sunt meriti infiniti, quia procedunt â Persona Divina actiones quoquè, quæ tribus Personis æquales sunt, pollent sanctitate infinitâ. Hæ sunt, quæ procedunt ab omnipotentia Divina, & licet non possint dici mereri aliquid, cùm non habeant Superiorem, à quo præmientur, dignissimum tamen est, ut quod facit Creator, creatura non improbet, gnara illum sapientissimè operari.

64. Habet merita infinita Redemptor tuus: habet Sanctitatem infinitam Creator tuus: ut quid moraris te subdere, & in omnem nutum offerre? En trias sanctissima submittit tibi molestiam hanc cum infinita Sanctitate, recipe illam saltem cum aliqua virtute. Omnes tres Deitatis Personæ deferunt eam tibi cum amore, tu recipe cum patientia; submittunt bono tuo, tu ne rejice in damnum tuùm.

65. Omnis Dei actio est sanctitas infini-

ta, charitas, & complacentia infinita; gratulemur, ſi de noſtris impenſis lætari vult Deus, & (ſi dicere licet) de laboribus noſtris feſtum agere.

66. Æquè ſancta eſt actio, quâ tibi Deus immittit, unde crucieris, quàm fuerit Chriſtum mori pro te. Reverere opera DEI, digna patientiâ tuâ, & amore immittentis.

67. Opus eſt infinitæ Sanctitatis, ſi te dignatur DEUS afflictione aliquâ; quam licet forſitan non merueris, meretur tamen DEUS tâm ſanctus, tàm amans, ut eam feras patienter.

68. In excellentiam Divinitatis redundat, ut quidquid agit, ſui amore agat. Si ergò veraciter diligis, exulta Deum ſe amare, immittendo tibi afflictionem aliquam. Pluris tibi eſſe debet Amor Creatoris, quàm dolor creaturæ; iſtum ſe amando lætari, quàm te patiendo dolere.

69. Plus gloriæ & complacentiæ ſibi ipſi DEUS tribuit, cùm te ægrum lecto affigit ad cætera inhabilem, quàm illi dent omnes Angeli & Sancti in cœlo, & daturi ſunt per omnem æternitatem. Jungere DEO, & glorifica illum tolerando quæ jubet. Quod ſi inſuper gratias referas, plus agis, quàm ſi egiſſes quàm plurima.

70. Noli nimiùm angi, ſi vacare nequeas ſummæ quieti, aut quæ zelosè deperis,

vir-

virtutum operibus; potiùs DEO congaus de, quod ipse reddendo te inhabilem, opu- præstet eximium magis, quàm tu præstite- ris rigore, etiam in ævum duraturo. Hoc gaudio mitigabis dolores tuos, & supple- bis asperitatem cupitam pari merito, & o- peris dignitate.

DECAS VIII.

71 Nullum pondus fallacius quàm pro- speritatis: nulla fallibilior mensura quàm gaudii. Quantum decipimur licitando, mercando! Vis Regulam, certamq: rerum omnium amussim? Voluntas DEI est: hu- ic si commensures singula, etiam distor- ta rectificas, & plaudis in adversis. Felicis- simè pateris, si pati libuerit. Desererent cœ- lestem gloriam beatissimi spiritus, si nos- sent DEUM velle, quin & ipsas Erebi pæ- nas ad nutum unicum hilares subirent. Pon- dus quo inclinantur, voluntas DEI est non gloria ipsorum, aut quæcunquè felicitas.

72. Immensùm obstringimur Voluntati Divinæ, si quæ per illam gesta sunt, peni tiùs expendamus: omnis in illam venera- tio ex debito est. Per illam Spiritus Sanctus procedit in Divinis: per illam statuit DEUS incarnari ac mori pro te: per illam se tibi voluit dari in cibum: per illam donari ve- niâ, dotari gratiâ, beari gloriâ. An non propter eam, â qua tantum ad nos deflu- xit boni, par erit aliquid tolerare mali? Porro

cùm nequè DEUS habeat mali aliquid, minùs facere possit, non malè feramus bonum, quod speciem gerit mali, & patientiâ nostrâ redditur bonum.

73. Opera DEI longe excellit ipsum operari. Discrepat hoc ab illis, quod opera ejus sint bona, operari verò infinitè sanctum. Opera quæ sunt ad extra, possunt esse meliora, ipsum operari nequit esse præstantius. Igitur non tàm advertas in illud, quod in te operatur Deus, quàm quòd operetur ipse, quidquid tandem id fuerit.

74. Ægrote! nonne injustum videatur tibi si contradicas DEO, in quo eum laudant & benedicunt cœlestes Spiritus? Illi benedicunt DEUM, quia præbuit tibi ansam benè merendi: cur non & tu benedicis, & proficis ex illa? Exiguum, quod valens Deo daturus eras, felicissimè compensatur gloriâ & beneplacito Divino ex ægritudine tua resultante.

75. Tollitur tibi, quod deperibas: moritur filius: auferuntur opes: quid affligeris? Cogita ab illo fieri, qui nequit facere malè. Sustulit filium, sed absquè culpa: privavit opibûs, sed absquè peccato: quia utrumquè fecit summâ cum sanctitate.

76. Gaudebis de eo æternùm in cœlo, quod nunc immodicè plangis in terra. Anticipa hanc lætitiam, instrue te ad gloriam, & in mediis malis ordire gaudia, quæ, si

sal-

salveris, producturus es in ævum. Fac modo, quod, si felicissimus fueris, facturus es in æternum.

77. Exultando tibi DEUS immisit morbum, cur tu tristaris? compensa lætitiam Divinam patientiâ doloris; magisquè cordi sit DEI tui gloria, unde congaudeas, quàm propria afflictio, unde tristeris.

78. Fieri voluntatem DEI sicut in cœlo, ita & in terra, est gaudenter eam complecti, ubicunquè occurrerit. Angeli eam adimplent cum gaudio, tu noli contraveniendo destruere.

79. Inter opera Creatoris non illud est præstantius, quod fulgentius. Vilis vermiculus excellit Planetarum Principem toto orbe diffusum. Plus virtuti accessit Jobo â fimeto & sanie, quàm Salomoni ab omni majestate, & gloria.

80. Sors iniquior sustulit tibi opes, iracundus filium, invidus honorem? Solare te: quia cum illis non perierit salus tua. Si dicas, te cum illis perdidisse, quidquid perdere poteras, sane amisisti parum. Crede: hæc omnia nihil sunt, & si nihil amiseris, quid cruciaris? Nemo perdit, quantum perdere potuit, nisi qui morte malâ defungitur.

DECAS IX.

81. Sine, ut arbitrio suo supremum Numen disponat omnia: miraberis aliquando

ſummè tibi proficere, quod credideras obfuturum. Myſterium ſolet eſſe, quod agit, & agere illius, ſummi eſt auctoramentum amoris.

82. Quod Deus operatur, admirandum eſt, pulcherrimum eſt, Sanctiſſimum eſt. An non rarum Myſterium, & myſterioſa raritas, æquali amore creari ab ipſo culicem, unde mordeare, ac cælum *Empyreum*, ubi æternum gaudeas? *Utrumquè* facit amando ſe, utrumquè in ſui gloriam, utrumquè in commodum noſtrum. In illo exambit meritum tuum, in iſto dare præmium ſuum.

83. Admodùm opulentus eſt, cui DEUS auferendo divitias communicat gratiam. Nempe modicum tollit, & plurimum donat. Qui ſaniori judicio, quidquid temporalium eſt nihili duxerit, non queretur auferri partem illius, & cum illa cumulum curarum.

84. Miſericorditer Deus agit, cùm tollendo vires corporis, una tollit anſam peccandi. Hoc gratiæ eſt, illud infirmitatis: hoc bonum legitimum, illud putatitium, & miſeria ſolùm apparens.

85. Hunc Deus præ cæteris honoratum cupit, quem per jacturam æſtimationis terrenæ idoneum reddit gloriæ cæleſti. An non pluris æſtimes honorem, quem Deus contulerit, quàm quem homines finxerint?

Deli-

Deliciæ sunt amantis Domini, auferre voluptatem, & ingerere sui amorem, idest, porrigere aurum, & surripere cænum, ditare simul animam, & purificare.

86 Stoicorum labor fuit extirpare affectus: Studium Christianorum est, illos in ordinem redigere. Philosophia sanctorum est, anhelare vilipendi, mysterium Evangelicum, sibi ipsi vim inferre. Prodigium gratiæ est, commutare affectus: metamorphosis Divina, voluntatem terrenam in cœlestem transformare, & uti Paulus loquitur, novam creaturam fieri,

87. Voluntas Divina ipsa est beatitudo. Adversa convertit in prospera, mala transformat in bona. Videris vim admirabilem & quò noverit penetrare! dum de contrario suo triumphum agit.

88. Datur materia, quæ artem superat; nihil autem est, quod non cedat voluntati Divinæ. Pretiosum fuit Jobo fimentum suum, pretiosa Manassi captivitas: nequè ille præposuerit fimo divitias, nequè ille vinculis thronum regalem.

89. Voluntas Divina omnia bonitate suâ informat. Cum illa potes amplecti pœnas æternas, & absquè illa dimittere gaudia sempiterna.

90. Voluntas Divina est norma omnium normarum, Ratio rationum, causa causarum, hydrophylacium omnis boni,

& occultarum gratiarum profluvium. Errat, qui eam non adimplet; & qui non suffert, se perditum it.

DECAS X.

91. Veluti Aquilæ Imperiali duplex est vertex, & vertici duplex corona, sic Majestas voluntatis Divinæ bifariam se diffundit. Unum est, ut id omne velimus quod illa facit: alterum ut faciamus quod illa vult. His duobus adoramus duplex & venerandum Divinitatis diadema.

92. Voluntas Divina debet esse primum medium, & ultimum voluntatis humanæ: hæc autem cum illa inchoare, cum illa progredi, & finire, Ejus sphæra, immensa est, & transcendit omnes cœlos. Extremum felicitatis, quàm creatura potest exambire, est Voluntas Creatoris: summa autem felicitas, quæ vel ipsi Beatitudini anteponitur.

93 Velle Divinum, res est pulcherrima; abyssus sanctitatis: lilium inter spinas: rosa inter vepres: aurum in paupertate: gloria in illusione: felicitas in necessitate.

94. Venerandum quid est Voluntas Divina, sacrosanctum & inæstimabile: cujus pretium quî exprimam luculentiùs, nisi forsan dicendo, nihil esse vel in terra, vel in cœlo, neque ipsam claram Dei visionem cum qua possit commutari; taceo cui valeat anteferri. Fac tot linguas esse, quot sunt arenæ granula in terra, quot in aere atomi,

tomi, sidera in cœlo, non suffecerint exprimendo pretio Divinissimæ voluntatis.

95. De Voluntate Divina resultat major ejus gloria, uti è fœcunda radice flos pulcherrimus. Tu hæc duo ne disjunxeris, eodem respectu observanda est ejus Voluntas, ac major gloria.

96 Dixerim Regaliam aut thiaram Divinitatis: nam soli Deo competit jus in illam. Quod si præsumeret usurpare homo, tolleret diadema de capite illius. Prodidisse Regem infamia est æterna, prodidisse Deum, temeritas abominanda.

97. Quod Deus vult, in se bonum est: id verò adimpletum ab homine, adhuc meliùs est: ipsum autem velle Divinum, optimum est. Prô quanta energia bonitatis Divinæ! non est calamitas, cui non resistat, quam non convertat in bonum, duntaxat volendo.

98 Grande Verbum *Voluntas Dei*, & ingens mysterium! Ad nomen illius par est curvari genua omnium creaturarum. Per illam emanât Spiritus Sanctus: stupenda sanctitudo! Ab illa profluit omne bonum: ô immensa vis bonitatis! Quidquid vult, quidquid agit, bonum est: nequè potest homo velle aut facere quid melius.

99. Voluntas Dei est fornax intentionis humanæ: nisi hic recocta depuretur, nec munda erit, nec recta. Ast ubi se confor-

ma-

mârit, tùm instar auri puri & immunis erit à fæce, & expers erroris.

100. Beneplacitum Divinum est amussis Rationis. Ratione caret, qui amussim non sequitur. Est valor bonorum operum, quæ nihil appendunt, nisi ab illo pondus accipiant. Est lapis lydius virtutis; adulterina est, quæ illius affrictu non se probârit. Non dico non despiciat, solùm non respiciat in Deum, jam vim virtutis amisit. Quæ solùm agit, quod ratio probâric, non est nisi simpliciter bona. Illam dixero eximiam, & auri instar vigesies quinquies repurgatam, quæ operatur uti cælestis: quæ â sola charitate impellitur: quæ unum quærit in omnibus Dei beneplacitum.

DICTAMINA SPIRITUALIA

DECAS I.

NEmo querulus dixerit, se modicum posse, atque ideò negligi operam suam. Multum potest, qui potis est Deum impensè amare. Fac cætera tibi desint: hoc uno abunde valueris. Convenit sæpe nihil posse agere, ut possis majora. Non semel otium, quod inutile credimus rebus agendis maximè opportunum est. Non minus quæstuosum Christo fuit tri-

cen-

cenne silentium, quo latuit, quàm trienne studium, quo mundo patuit: æquè meruit tam puer silendo, quàm vir patiendo & prædicando.

2. Ut aliquando indulgenda sit corpori quies, princeps animi cura nunquàm remittenda est. Prima creati studia sint Creatori obsequi. Multum egerit, qui multum amârit, aut cupierit multum agere. Ubi vires impares sunt, facti gloriam voluntas capit.

3. Non eget obsequiis tuis Deus: quid igitur te angat, quod nequeas plura? *Si* ea Deus voluerit, absquè opera tua facturus est. In unico duntaxat socias â te manus requirit, ut rectè agas, ut virtuti studeas.

4. Plerumquè præstiterit sanctè moderari affectionem aliquam, quàm si mille cathedris virtutem doceas, aut multâ austeritate corpus affligas. Quæstuosa est valetudinis jactura, si meritorum fænore compensetur.

5. Non studeas servire Deo, nisi velut ipse præscripserit Quodnam operæ pretium servus faciet, si quod agit hero displiceat? Nempe disgratiam meruerit inutili sudore.

6. Si Deus noluerit te magna præstare, satis est, si magna det pati. Si tollat per debilitatem corporis usum rigoris, quid dubitas sacrificio præpollere obsequium, & super

per omne asperitatum genus eminere voluntatem Dei nutibus addictam.

7. Noli viam tentare, quam tibi Deus præclusit. Consule Moderatorem animæ tuæ, & ejus judicio te subde: alienis humeris, obedientia te cælo inferet. Cave ne insolitum vitium, aut pravum affectum falsò putes Dei suggerentis esse consilia.

8. Noli quærere Sanctimoniæ genus, quàm quod Deo probatur. Exiguum id fuerit submissionis indicium, si te meliorem æstimes justô, quem Spiritus Sanctus asseruit septies quot diebus. offendere.

9. Lapsus ille infortunatus non est, qui te præservat à majori. Multùm ex errati proficies, si inde te amplius demiseris: expedit enim te in humilitate fundari: atque id circò noli ambire sanctimoniam majorem, quâm tibi Numen præscripserit. Illud velis, quod ipse cupit, nimirum humilitate clarescere.

10. Adverte, quod Ecclesiastes monet: *Noli esse justus multum.* Inquietus eris, si studeas eâ ratione justus esse, ut nunquam erres, nullaq; tibi incuria accidat. Hujusmodi vota, curæquè immodicæ, ut ut speciem boni habeant, pacem auferunt, animique tranquillitatem: atquè adeò inde quietem tollis, unde speras obtinere; inde inficeris, unde laboras purificari.

DE-

11. De fructu suo nihil deperdit, quem ab randi studio avocant negotia, dum hæc el obsequendi lege, vel piâ necessitate, vel romovendæ salutis alienæ causâ suscipiun- ur. Non deficit meritum, dum Deo bsequaris.

12. Minùs obsunt contemplandi studio xterna opera, quàm internæ passiones: uin ipsa agentis vitæ exercitia. si iis affli- atur animus, plurimùm adjuvant studi- m Divinorum. *Mens* enim per illa morti- cata minora sentit impedimenta passio- um.

13 Plus quærito Deum ipsum, quàm anditias illius: nequè ab oratione te di- ellat arida mentis infæcunditas. Servien- um Deo non gratiâ commodi, sed æsti- atione dignitatis, quâ est, quod est. Sæpè raviùs erraverunt â recto, quibus cœlum elicias depluit, quàm quos siccitas are- cit: & uti ajebat quidam Dei servus, æmonia solatiorum subtilius nocent uàm tribulationum.

14 Nullas delicias salubriùs petieris, ac rucem. Igitur pietatem non in eo collo- s, quòd lacrymis perfundaris, quòd so- tiis abundes, quòd mente in Divina rapiaris. æstat his omnibus firmus Dei amor, & ncera pro eo patiendi cupiditas. Ad al- iora levando verticem, periclitaris: de- ittendo securus es.

15. At-

15. At ne propterea teneriores omnes affectus contempseris, eo obtentu, quòd inde non solidetur virtus: imò ubi teneritudo transierit, evanescat. Verum quidem id est: at mens quoquè inde ad sanctiora trahitur, & viros novimus Deo charos ex eo capite magnoperè profecisse.

16 Cùm cœlum delicias subduxerit; patienter sustine, nequè ob id quod potes agere intermitte. Multum poteris, si sustineas imperturbatam illam mentis orbitatem, nequè â statuto actionum tuarum penso: aut consveto virtutis studio deflexeris. Quantum enim hinc subtraxeris, tantum vires animæ diffluent, uti Samsoni robur corporis, crinibûs rescissis.

17 Orandi genus quærito, non quod sublime est, sed quod utile. Illam meliorem duco, unde redis humilior, patienti instructus, in eventa cautus, in passionibus mortificâtus: non hanc, in qua vel mentis intuitu occulta penetras, vel blandientium cogitationum dulcedine perfunderis.

19. Orandi facultas, ut maximè pretiosa, sitatquè optabilis, præcellit illam herus animus, & in pravas cupiditates fortiter insurgens. Qui utrumquè conjunxerit omne tulit punctum.

19. Oratio, quam mortificatio destituit aut orationis umbra est, aut mentis illusio. Quantumcunquè orationi te dederis, sa-

ſacro commentandi ſtudio, nihil tibi pro-derit, niſi junxeris ſtudium te vincendi,

20, Ut uberiùs in te derives amorem cœleſtium, exſcinde affectum rèrum pereuntium. Felicitatis pars magna eſt, cordis hoſpitium clauſiſſe mùndo, ut pateat uni Deo. Beata illa ſocietas! quâ abdicato creaturarum uſu in amiciſſimam tranſis communionem Creatoris.

DECAS III.

21. Quæſtuoſiſſimè negotiaris, ſi quidquid habes, unà abjicis, ut petitam compares bonorum omnium iliadem. Prodige cuncta, quin & teipſum exue, ut gratià veſtiaris, id eſt inſignibus Divinitatis.

22. Qui ſpiritu pauper, idem & opulentus eſt: Quia in Deo poſſidet omnes cœli terræquè divitias. Quid enim deſit illi, qui plus habet, quàm cæteri omnes? qui ſuo contentus ne quidem deſiderio torquetur habendi aliquid.

23. In te ipſum curas, & oculos converte; nequè cupias videre, quod non deceat concupiſcere. Renunciaſti mundo: faceſſant ejus reliquiæ, & nec memineris te noviſſe. Sapientis eſt, cujus amorem depoſueris, etiam memoriam obliterare.

24. In bona æterna, licet ſenſibus adhuc remota, fidei amorisquè obtutum fige. Vera illa ſunt, & boni nomen merentur; cætera vaniſſima, & profundiſſimâ oblivione ſepelienda.

 25. Cha-

25. Charitas tua unius Dei amplexu contenta non sit, fratres quoquè & proximos benevolentiâ involvat. Si pari beneficio prodesse non potes omnibus, potes eorum nævos & injucundam societatem inoffensus tolerare.

26. Nequè inopia, nequè labes, quas innocuis interdum natura aspergit, unquam te moveant ad contemptum. Quidquid naturæ laude vel vitio sortimur, Dei munus est: tu ejus consilia redarguas? Si te præ cæteris munificentiùs dotârit, quid grandescas contemptu inopiæ alienæ? Vide cautus, ne bonis, quibus affluis, Creatori insultes, quem modestissimâ humilitate tibi demereri debueras.

27. Permagni sanè momenti est, vel unicam pro Christo injuriam sustinuisse; jure prætuleris omnibus asperitatibus, quas vel animæ cælo dignæ usurpârunt, vel ipse posses adhibere. His enim abstinendo nullam legem violaveris; cessare â patientiæ studio jam noxa est. Fugienda est autem Dei offensa etiam levissima præ omnium non solùm terrenorum, sed & cœlestium ac sanctorum operum jactura.

28 Inania sunt, quibus animus tuus flagrat, sanctiora desideria, si patientiâ careas. Multi exoptant Neroniana tempora, aut novas persecutiones oriri, ut vitam Deo immolent: interim servi Dei vocem non

ferunt,

ferunt, ingemiſcunt ad onera, aſpernantur majorum imperia, quæquè leviſſima ſtomachantur. Optima pænitentia, & probarum Martyrium eſt, alieno arbitrio ſubjacere. Quid optes in monſtra pugnare nunquam tibi occurſura, ſi trepidas ad ſtriduum murmur muſcæ leviſſimæ aures tuas circumvolantis?

29. In gratitudinem non vulgarem iis obſtringeris, qui te quà verbis, quà factis aſperiùs habent: præbent enim materiam ingentis boni. Puta inſtrumenta eſſe, aut artifices â Deo conductos, qui te ad eximium nitorem perpoliant, eamque inducant formam, ut meritò admiſcearis olim lapidibus pretioſis, quibus conſtat cœleſtis ſtructura. Homo perditæ valetudinis, ut ad paucas horas retineat vitam, non ſolùm patitur ferro & igni ſibi membra laniari, ſed & mercedem pendit lanianti. Et tu. quid gratiæ refers non ſævientibus in te, ſed auxiliantibus, ut æternùm vivas?

30 Dum præſentem, & amicum Deum habeas, nihil eſt, quod te anxium triſtemquè efficiat. Ubi ille abeſt, id eſt offenſus à te abſceſſerit, infernum incolis; ſi vel mundi deliciis innates, aut in ipſum cœlum dominatu polleas.

DECAS IV.

31. Pati aut torqueri cum Deo ſumma felicitas eſt; felicitari absquè illo maxima

calamitas. Satius est, sustineas crucem quam humeris tuis imposuit, quàm ut eam excutias oneris impatiens. Ille aderit in societatem laboris, vel demùm auferet omninò

32. Si pati renuis, quietem fugis. Molestia quam Deus immittit, ad virtutem obex non est, sed incitamentum. Manifestè deciperis, dum arbitraris inde te â Sanctimonia impediri, per quod ipse Sanctus Sanctorum te invitat ad eam consequendã.

33. In cassùm te Creatori opposueris: fortior te est, succumbes. Nequè succusseris caput obtendendo illud; potuisse te aliter haberi, aliâ viâ ad virtutem induci. Novit ille abundè, quid è re tua sit, quid ad gloriam tuam facit; gnarus per fœdissimas rerum imagines purificare animam.

34. Si tribulatio animum presserit, fatere te ultra meritum felicitari. Gratiæ sunt â Deo immissæ, ab ignaris pænarum nomine vitiatæ. Scito autem in te cælum nunquam esse beneficentius, quàm cùm te cumulat adversis. Pro his semper gratus esto, ac certus, Deum nulli aut injuriam irrogare posse, aut nocere.

35 Crimina sexcentis aculeis horridã sunt, quid mirum si mentem lacerent & mille saucient vulneribus? Remove causam, & cum patientia sustine effectum. Adora æquitatem Numinis exercentis te & spera opem miserantis.

36. Si animus exarescit, atquè boni sensu quasi abjectus â Deo privaris, macte tamen animo, & vel in tristi ista orbitate ad arbitrium ejus totum te finge. Humilis resignatio tua janua erit, & via, quâ ociùs ad te rediturus est, novâquè lætitiâ aridam mentem perfusurus. Noli dejici, si interdum ab animi conspectu subducit se Numen: expedit te vilescere tibi, atquè isthic tangi, ubi tenerior est sensus amantis.

37. Id genus orbitatis non semper criminum nostrorum supplicium est, sed experimentum virtutis: patientiam fidemquè nostram explorante Deo. *Ubi mare â ventis quiescit, remorum agitatione opus est.* Qui non cedit adversis, cœlestem cursum vel obluctando promovet.

38. Deflenda equidem crimina sunt, quòd summè displiceant Deo: at veniæ, & salutis spes nunquam abjicienda. Erigat te illius misericordia, & non dejiciat te tua miseria. Etiam Judas admissum scelus doluisse scribitur, sed spe destitutus periisse.

39. Antequàm scelus committas, Spiritus Divinus exaggerat mali speciem, pingitque colore turpissimo; at ubi admissum est nefas, facilitando veniam; extenuat culpam. Contra Veterator Genius, priusquàm cadas, imminuit malum, fingitquè exiguum; at mox ubi crimen admiseris, in immensum auget, ut vel desperatâ veniâ sceleſti-

lestiùs vivas, vel perosus conscientiæ stimulos in omnem vitæ licentiam te projicias.

40, Dolor immodicus ab occulta quandoquè superbia ortum deducit, & quemadmodum hujusce pœnitentiæ radix est mala, ita fructus nequeunt esse boni. Nascuntur enim de nimia sui præsidentia, quæ cùm seipsâ mala sit, non potest non damna plurima procreare. Agnosce calamitates tuas! agnosce & misericordiã Divinam plus ista poterit ad salutem tuam, quâm illa ad interitum.

DECAS V.

41 Qui Deo supplex sibi petit ignosci voluptatem ei facit, ne dicam, gratiam, honoremquè. Dignè de ejus bonitate sentias, & absquè metu accedas ad thronum gratiæ. Injuriàm ei facimus, cùm ex ingenio nostro metimur. Non illi pectus fellis, & vindictæ plenum: longè alienus est ab humano more: parcit sontibus, veniam ipse offert; & instabilitate nostrà non fatigatur. Non affingamus ei ingenium aliud: est infinitè bonus, misericors, facilè condonans, piissimus Pater.

42 Ejura genus omne noxarùm, & confide te omnium veniam obtenturum. Illud autem devita præ cæteris, quod vel contractâ assuetudo: vel vehemens animi propensio familiare tibi fecit.

43. Cul-

43. Culpam nondum admiſſam perinde metuas, ac ſi veniam non fores obtenturus: at poſtquam lapſus fueris, DEO te ſiſte tàm fidenti animo, quaſi non deliquiſſes, imò fideliter ſerviiſſes. Accede pudoris plenus ac lacrymarum, ſpei non dubius, & expers turbationis.

44. Errata vitæ ſuperioris eſſe argumentum debent altiſſimæ humilitatis, non dejectionis; anſa melioris vitæ, non erroris aut contumaciæ. Confide Deo: tametſi millies labaris, bis millies dextram porriget, quâ erigat cadentem. Penè exiſtimes non offendi novis caſibus, ſed emolliri Adeò bonitas ejus noſtram vincit fragilitatem.

45. A lapſu cito reſipiſce, geminando fervorem in obſequio Divino; atquè inde doceare, quid tu ipſe, & quid Deus poſſit. Hâc ratione medelam ſumes ex vulnere, & quibus in te pugnavit armis, hoſtem dejicies. Saxa ſui objectu iter impedientia documento ſint ad inceſſum aptiùs moderandum. Licet ſubinde corruas, aut ad ſaxum impingas, noli greſſum ſiſtere. Servire Deo abſquè labe aut nævo, ſolis cæli incolis conceſſùm eſt.

49. Non mireris adhuc pullulare ex te noxia herbarum genera: nempè altiùs fixêre radices, quàm ut eas bidui labor exſtirpet. Crede non parum periculi imminere iis, qui cùm pio æſtu incaluerint, exi-

ſtimant

ſtimant jam triumphatas cupiditates, ſeq omninò ſecuros vivere, quaſi jam tutam illam beatorum pacem deguſtantes. Latet nonnunquam ſub hoc pietatis velo perniciosa præſumptio, & ubi demum error crimenquè patuerit, magni illi Atlantes ſub cœlo ſuo collapſi, virtutis ſtudium non remittunt modò, ſed abdicant omninò. Expedit noſſe, cùm quo prælieris, ut fidem animumquè Deo probes, ſteſque ſemper accinctus in arena.

47. Cautè tibi pugnandum eſt, ne ab hoſte vincaris: nam ille multus eſt numerô, & inſuper oculos fugit. Idcirco ſta impiger, ejuſquè conſiliis, quibus prævalet, vigilantiam oppone; & quia medius inter hoſtes vivis, nunquam arma exue, ſemper congredi paratus.

48. Dum vixeris, nunquam te à tentationibus ſecurum crede, atquè ideò accinge te, ſollicitus, non ut è campo indemnis abeâs, ſed ut ab hoſte referas aliquid ſaluti aut conditioni tuæ profuturum.

49. Cum mentem infeſtàrit Genius malus, ut ad utilitatem tuam cedat inimica irruptio, ad Deum per preces confuge, aut te in amorem ejus excita. Similiter cùm tentatio irruerit, humiliare ſub manu Domini, recole infinita illius beneficia, & quæ te manent poſt hanc vitam noviſſima.

50. Deſertus tibi videris? tentatione affli-

fligeris? ſcrupulis exagitaris? dolores corpus, mentem pericula infeſtant? Age! patientiam adhibe, eâ unâ vim malorum omnium extinxeris. Vitam pro Amico ponere, ſublimis eſt, ipſâ Veritate teſte, Charitatis genus: at plus quàm vitam fundis, ſi, quam morte ipſâ acerbiorem ducis, animi orbitatem, tantis incurſionibus tentationum, ærumnisquè infeſtam alacriter ſuſtinueris.

DECAS VI.

51. Arcentur ab ubere infantes jam grandiuſculi. Quos virtus roboravit in ſpiritu, iis ſubtrahit Deus, quidquid eſt tenerioris ſolatii, & menſam parat ſolidioribus ex cibis; panis lacrymarum cupediarum vice apponitur Quando Joanni conſpicuum ſe dedit pectus zonâ adſtrictus, & lampades manu præferens, utiquè oſtendit ſe iis offerre lucem, quibus lac & delicias abſtulerit; imò lucem accipere ab iis, qui aſpera tolerarint.

52, Culpam horrere decet, non pænam iis debitam. Cur inde triſtaris, unde Deus ſibi complacet? illud damnas, quod ille probat. Jam nunc opportunum eſt pati: ſcates enim amore proprio atque inde tibi pæna eſt acerbior, inde amor in Deum remiſſior; dum ſcilicet refugis, quod ille cupit in bonum tuum.

53. Mœſtitiam ſuborientem levet ſpes

auxi-

auxilii proximè adfuturi Non solet tribulatio assiduò premere, neq; ulla est tàm severa, quæ non admittat aliquam solatii admixtionem. Nullæ cœlum nubes adeo asperant, quin post pauca amæniùs inde reluceat. Indolis probæ filius haud ægrè sustinet culpam suam, plecti paternâ manu, â quâ brevi blanditias sperat.

54. Si vero, sinceroquè in *Deum* amore fereris, nunquam fugies sufferre aliquid. Explicari non potest, quàm tua intersit quam eximium bonum, amare & pati. Qui sperat cum Deo gaudere in æternum non debet subterfugere patiendi hic moram brevissimam.

55. In cruce JESUM Redemptorem invenies, & per crucem quærendus est. Patiendi desiderio materiam tollis, dum ambitur, imminuitur. Quòplus te subjiceris, ut onus accipias, eò minùs sentis te premi. Nullum te afflixerit molestius quàm quod proprio arbitrio elegeris.

56. Si quidquam in orbe esset nunc, aut fuisset unquam homini convenientius, vel utilius tolerantiâ adversorum, illùd Deus haud dubiè daturus erat filio suo charissimo; at quoniam nec gloriosum quidpiam magis est, nec fructuosum, illum pati jussit, plus quàm toleravit ullus hominum aut toleraturus est in ævum,

57. Cultum religiosum impendimus

trâbi,

trabi, è quâ Deus Homo alterà duntaxat diei parte pependit: quidni plus honoris adhibeamus cruciatibus & ærumnis, quas senis omninò lustris sustinuit, & non nisi in ipsa cruce absolvit.

58. Quotquot jam cælum beati incolunt, præoptarent usquè ad ultimum judicii diem arceri â conspectu Numinis felicissimo, quàm privari vel minimo merito, vel gratiæ particulâ, quam in humanis olim collegerunt, cùm adversa Jesu amore sustinerent.

59. Expedit studiosè advertas ad animi tui sensa, ne quæ carni blandiuntur, spiritualia reputes, Nequè enim omnis illa affectio spiritualis est, quæ in corporeos sensus non diffluit. Non firmis stat pietas fundamentis quæ huic solo inædificatur. Etiam insoliti in Deum ardores, quo spiritu turgescunt, eodem instar bullæ evanescunt.

60. Genuinus ille, ac cæterorum princeps est amor, qui omnem Dei voluntatē animo forti sic complectitur, ut nequè rogos inter, omniaquè cruciamentorum genera, eam dimittat.

DECAS VII.

61. Seu gaudio perfundaris, seu mæstitiâ: sive cœlum solatia depluat, sive mentem ariditas exsiccet, eodem semper vultu adhærendum est uni gloriæ, cuicuiquè

Nu-

Numinis. Hanc viam nisi quis teneat, lentis passibus progressurus est ad virtutem: quin semper initiis suis inhærebit amando, & contemplando, quod ingenium aut natura suggesserit, non obsequendo Rationi, quæ spiritui famulari debet: ductumquè ejus sequi.

62, Voluntas Dei est, ut tibi infra nihilum vilescas, te humilies, & generosè vincas, multa patienter sufferas, non commodis tuis studeas, nequè aliò totâ mente feraris, quàm ut rerum omnium Moderatori placeas.

63. Gaudium & tristitia, si modum excedant, ex œquo nocent, mentemquè turbant. Loquor de profusa illa hilaritate ac mæstitia, quæ sensum afficit, & temperiem solvit. Nam spiritualis commensuranda est odio rerum aut amori, & ex earum cognitione perficienda.

64, Parcè quoquè exultandum in cœlestium deliciarum affluxu; uti nec tristandum immodicè in mæsta animi orbitate ac pressura. Cùm enim hi affectus sensibiles sint, facilè Rationi officiunt, & in damna præcipitant non ex æquo reparanda. Ipse etiam errato rum dolor alioquin tàm salubris, si modum excesserit, potis est hominem spe salutis dejicere.

65. Igitur quemadmodum Spiritus malignus illam tristitiæ intemperiem adhibet

uti

uti instrumentum, ad dejiciendum omnimodè afflicti animum: ita hilaritatem immodicam in eum usum transfert, ut nos ultra recti decoriquè limites quàm longissimè abripiat.

66. Probatissima agendi norma illa duntaxat est, quæ cum recto Rationis usu, non cum ingenio appetitioneque nostra consentit. Ratio sola agendorum omen est, & unicum morum remedium.

67, Servire Domino in lætitia laudatissimum est; at non exinde rejicienda est mæstitia, Dei dispositione immissa. Nempe squallor, & lacrymœ exilio nostro magis conveniunt. Neutri quidem se immergendum nimis, lugendum tamen potiùs in hac valle lacrymarum, & differenda gaudia alibi proventura.

68. Sensualis animi voluptas, solatia teneriora; imò & Pauli asserto cœlestium aut futurorum clara cognitio, atquè ipsa cum Deo familiaris collocutio, nonnisi dulciaria sunt teneræ virtutis, pabulumquè parvulorum. Hæc omnia se compati possunt cum homine subdito peccatis. Adulta virtus non eget his cupediis, alitur cibo fortiori; mortificatione, afflictione, durorum tolerantiâ, cruce ex amore Dei jugiter ferenda.

69. Naturæ lege adstringimur, ut ad normam Rationis vivamus; verùm affectu

ſeducimur, impetu acti, & noſtri amore. Non metimur res ad recti legem, ſed ad imperium cupiditatis: non ad charitatis jura, ſed ad nutum propenſionis, & amoris proprii.

70. Si animus tibi eſt, tua ex *Rationis* arbitrio moderari, Deum tibi antetuleris, proximum ad minus æquâris. Eâdem bilance expendenda ſunt commoda propria ac aliena; nequè minus pondus abjiciendum, cùm dandà largiris. quàm cum data recipis,

DECAS VIII.

71. Ut pro cæteris ſanè judices, fac, ſemper proximus perſonam tuam occupet, & tu illius. Si malè habitus es. cogita te alterum malè accepiſſe. Si offendiſti quempiam, credito te ab alio offenſum: ita querelas tuas ſapienter compoſueris.

72 Quod in alterum contuleris, nunquam videatur magnum; quod ab alio acceperis, nunquam parvum. In minuta aliorum errata ne irruas acerbus arbiter, nequè tua graviora excuſes quaſi neſcius errare.

73. Non expetas ſemper aliis juſtitiam, tibi vero gratiam; alios ſtrictè, te clementer ac ſuaviter haberi. Quæ maledici imponunt, non te commoveant illicò, illud autem, quod tu dixeris, ne innocuum putes.

74. Si quem propensiùs colueris, non continuò â culpa exemptum credas: nèquè si quem oderis, confestim quidquid egerit, scelestum putes. Malè semper judicatur affectibûs, ibiquè sententia suspecta esse debet, ubi sui amans animus pro se arbiter sedet. Amor pretium rebus non tribuit, sed accipit. Potest in adverso tibi latere virtutis aliquid: uti in amato tantundem vitii.

75. Monstrum sis, si cor duplex habueris, quorum alterum tuis, alterum alienis rationibus impendas. Nempe uni Rationis Legi Voluntas obtemperet. Unde prosint, non unde delectent, res æstimandæ sunt. Mentem in verum fige, non in apparentia boni simulacra.

76. Cæteris cur succenseas, quòd commodis suis invigilent; cùm & ipsi patiantur te tuis studere? Non te offendat, quod alii querantur de te, si velis, ut ipsi credant, justas esse querelas tuas.

77. Talem te habe cum aliis, qualis cupis haberi ab illis: talis quoquè studeas esse cum Deo, qualem ille se exhibet tibi. Ab ea, quâ ille te accipit, ratione disce, quam tu in alios debeas servare. Patiens tolerat, quæ facis, mala, nec desinit opem tibi & gratiam largiri. Quid quereris, si ex tuo te more homines accipiant, & utî tu Deo pro gratia injurias reponant? Qui noverit se,

abutendo creaturis offendiſſe Numen, pati debet, ut & illæ inſtrumenta fiant vindicis Dei, rependantquè injuriam ipſi irrogatam. Ne unicæ quidem obmurmurandum eſt: ſingulæ enim ultrices ſunt ſui Creatoris.

78. Dei arbitrio te tuaquè ex integro permitte: ſolatium ſit, quidquìd ſtatuerit de te ab æterno. Sive te obſcurum velit ſeu gloriâ fulgentem: ſive donis & gratiis abundare, ſeu omnibus deſtitui: ſive anxium compungi, ſeu liberum deliciari: quæcunquè demum aſpiret tibi ſors favoris aut preſſuræ, te fidum & amantem ei præbe. A piiſſima illius manu, quidquid ingruit, ſeu grave ſit, aut maximè adverſum, animo excipe non patienti ſolùm ac demiſſo, ſed hilari etiam ac grato. confidens nihil non â paterna illius providentia diſponi in bonum tuum.

79 Quando malum avertere, aut in melius commutare nullo conatu potes, curam omnem permitte Deo: expectanda eſt modeſtè Divina ſententia, quà ſapientiſſimus Arbiter ſtatuat vel amoliri penitùs malum, vel bonum indè elicere.

89. Si non potes hilariter, certè moderatè tuleris, quæ tibi infertur injuria. Probra ſuſtinuit Chriſtus longè acerbiora manſuetudine inſuetâ. Cohibe impetum ſurgentis iræ, & oculos intende in Divinam manum, quæ juſtiſſimè, & nullus dubita,

ex

ex puriſſimo amore patitur tibi malum irrogari, etiam ab homine ignaro, ſe administrum eſſe, & adimplere conſilia illius.

DECAS IX.

81. Age potiùs, quod alieni arbitrii eſt, quàm quod tui: fac voluntatem Dei, fac voluntatem fratris, fac vòluntatem injuriantis & inimici, ſi absquè peccato potes, potiùs quàm tuam. Nempe nihil ita æſtimaveris, uti pretium obedientiæ,

82 Supra alios te nunquam extuleris: præter te contempſeris neminem: æſtima te inferiorem, quin & viliorem cæteris: patere, ut illi tibi legem dicant, & propter Deum te omnibus probare ſtude; monita etiam poſtremorum ne reſpueris: deniquè convenientius duxeris, demiſſè culpam agnoſcere, quàm cum pertinacia amoliri,

83. Non minùs complaceas tibi in humili parvitate, quàm mundi æſtimatores in magnitudine vanitatis. Opta, nullo apud homines in pretio eſſe, ut Redemptori tuo, ejusquè *Matri* ſanctiſſimæ, ſimilior fias.

84, Nequè vaniculâ aſſentatione ſtudeas placere alicui, nequè inani metu fugias diſplicere. Aliena facta nec ſcrutare curioſiùs, nec cenſor facilis, dijudica. Curis ſuperfluis non te immittito, fruiturus domi tranquillitate optimâ.

85- Benignum ac facilem te omnibus

præbueris. Alienis bonis æquè delecteris, ac tuis; de alienis malis æquè doleas. Charitas tua profusa sit, & prodesse omnibus parata. Nullius te mores commoveant etiam molestissimi, & vel scelestissimi salutem nunquam despera.

86 Parvo contentus non petieris nisi pauca, & paratu facilia, subeundo quædam paupertatis incommoda, quæ & ipse *Dei* filius adamavit, & subinde nobis commendata voluit, ille Magister, & Dominus, nobis servis & discipulis. Gaudeat discipulus, si Magistrum imitetur; plaudat servus, si cum Domino suo venire possit in partem laborum.

87. Tunc auspicamur habere pacem, cùm desideriis imponimus finem. Nihil ex rebus terræ hujus expectes, nihilquè metuas, & eris Dominus tui, id est, maior Regibus universis. Solum Deum ama, solum peccatum time; inde tibi quies, & pax sincerissima. Nihil desiderando ditissimus es; nihil timendo securissimus. Quis obsecro, tibi malum inferet, si quod infertur numeres inter bona? *Et* quis fortunam tuam everterit, si hæc tua opulentia sit, nihil amare, nihil concupiscere?

88. Vota nostra, ut maximè pia, tempori ac viribus nostris accommoda sint. Si te lecto affixit morbus, quid ambias plebem de suggestu docere, aut obire Xenodochia?

Mitte

Mitte intempeſtiva vota, & collige te ad patientiam, uti conditioni tuæ covenientiſſimam. Hujusmodi deſideria inconſulta, præterquàm quod inutilia ſint, tempus abſtrahunt ſanioribus votis.

89 In hoc ſpiritus nequam laborare ſolet, ut mentem impleat vaniſſimis conſiliis, nequè tunc proficuis, nequè in ſæcula eventuris; quò ſcilicet alia volvendo, quæ tua interſunt, prætereas, & venatu inanium umbrarum deludaris. Labitur interim lucri occaſio, ſpemquè benè agendi, ſerò deluſus, perdidiſti.

90. Evaneſcunt temporalia, niſi futuris intendimus. Spiritualia verò, virtutes inquam germanæ, non putatitiæ, per ipſum neglectum præſentium ſecuros nos reddunt æternorum. Age igitur, quod agis, non quod acturus es. Huic invigila, quod præ manibus habes, ut ritè factum ſit.

DECAS X.

91. Negotium gravioris momenti vix aliud eſt, quàm, ut curas omnes, ad Dei cultum ſeriò adjicias; imò nec ſtudium aliud, quod calentioribus votis debeas anhelare. Deſideria noſtra ſunt vires animæ, aptiſſimæ ad ſuperandas moleſtias omnes, & fatigia in perfectionis itinere occurſura. Iter hoc prolixum eſt, & affatim laboriosum; ſemper reſtat, quo pergas, & retrogredi eſt, eòdem in veſtigio vel tantillum ſtetiſſe.

Plu

Plures in eo tabernæ sunt aut diversoria; in his moram ne traxeris, furtim subeunda sunt, & via prosequenda. Et ut noveris, quam viam teneas, aut quantum in ea progressus sis, hujusmodi hospitia, ceu gradus serviendi Deo, sanctioris vitæ Magistri, novem statuunt, comparata ad conditionem eorum, qui iter adoriuntur. Tu observa, quâ classe hæreas, & quantum distes â termino.

92. Ad primum refero qui crimina sua ritè confessi, ad ea deinceps evitanda, severissimè sese obstringunt, modicè interim soliciti de levioribus nævis præcavendis. Languet in eis, & refrigescit charitas, vigetquè nimium, quo malè nobis blandimur, amor proprius. Hæc taberna extra infernum quidem est, ast inde non longè distat, prout Trithemius loquitur; quin si alteri Doctori credimus, jam in ipsis Tartari labris ambulant illi, qui vitam ducunt adeò sui securam, imò negligentem. Etenim qui minutiores noxas, nullô prorsus studiô cavet, qui corporis commodis indulget, qui labendi occasiones, & peccatorum gravium pericula non defugit, næ ille præcipitio æterno quàm proximus est. Sit tamen, unum aliquem, in ea vivendi ratione, Orci carceres effugere, quàm horridis, quam diuturnis suppliciis in terrifica illa ignium lustricorum specu, noxarum pænas exsolvet

vet! Opera inſuper ſolius ſcilicet gehennæ metu extorta, quàm futura ſunt imperfecta! quot ſordibus deformata! quàm parum deniquè meritoria!

93. Secundum gradum illi proprium habent, qui aure pronâ excipiunt monita Divini Spiritûs, mundi vanitates declinant removent ſtudioſè graviorum criminum illecebras, ad pietatem conſtanter incumbunt; cœterùm haud multùm àbhòrrent â nævis minutioribus: & licet partem aliquàm levium noxarum effugiant: nòn ſe liberant tamen â ſagaciſſimis dæmonis inſidiis, ejus laqueis innodati, paſſionum ſuarum aurâ abrepti, atquè exinde heroicarum virtutum operibus prorſus impares. Hi vana ſecuritate perſuaſi in eo requieſcunt, quòd ſupremo Numini deſerviant, ac tandem ſui vani æſtimatores adeunt diſcrimen plurimorum errorum.

94. Tertiam claſſem obtinent, qui domitâ generoſè carne, mundoquè devictô, inediâ & vigiliis ſe macerant, quibus ſcilicet ſtudium virtutis non modicè promovetur. Aſt ea iſti parte adhuc deficiunt, quod ab ejusmodi æterni ſupplicii metu aut præmii cupiditate magis, quàm germano Dei amore impellantur. Imminere iſtis ſolet ex inſidiis veterator, & ſub doloſa ſpecie avocare ab interno ſui debellandi uſu, à teneriore in demiſſionē, charita-

tem, aliasque virtutes affectu; fovendo in illis nonnullarum creaturarum amorem, & tenacissimè alligando personis & occupationibus quibusdam, eo ferè obtentu, quòd Divinam amicitiam ex inde non violent. Hi interim non advertunt ab ejusmodi affectibus parum mortificatis obicem poni Divinis donis, sequè animo semper dubio ac solicito distrahi, nequè unquam passionibus liberari.

95 Quartum Viatorum ordinem efficiunt ii, qui ad usum piarum asperitatum & carnis edomationem curam interiorum adjiciunt, sacra commentantur, & orationi vacant quàm plurimum. Hic verò, & quod præcipuum est, desideres: sui scilicet abnegationem omnimodam. Nam hi in hujusmodi mentis deliciis non tam Dei gloriam exambiunt, quàm suum, quo delibantur, piissimæ voluptatis saporem, nunquam non affixi sensui, & voluntati suæ. In ipso devotionis æstu Deum amant profusè, affectant aspera, cruces, & mortes; mox ubi tenerior sensus evanuit, jam alii à seipsis; quam poposcerant, deprecantur pugnā, & ad primam adversitatis imaginem contabescunt. Imperetur aliquid, quod eorum palato minus arrideat, illicò ostendent, quantum absint à sui victoria. Ut, quo abripiuntur nimiùm, domesticus sui amor obtectus lateat, vellequè suum adim-

adimpleant, ſexcentis facilè argumentis ſuadent omne eorum ſtudium in unam DEI gloriam referri.

96. Qninto in diverſorio hoſpitantur, qui voluntatem propriam in omnibus ab dicant, ut cum Divina probè conſentiant, parati non Majorum modò, ſed, ſi per Divinam legem aut abſquè nævo liceat, inferiorum etiam arbitrio obtemperare, auſcultant ſuggeſtiònibus cœlitùs immiſſis: colunt mentis tenerrimæ puritatem, & ardentiſſimo ſtudio, omniquè ſanctorum operum genere connituntur Deum ſibi demereri, atquè arcta cùm eo amicitiâ conjungi. Hos jam dixerim in via magis ſecuros, ambulantes in veritate, ac Deo cæteris jam præmiſſis longè acceptiores. Verùm nequè in iſtis ſui abnegatio eas omninò radices egit, ut non aliquando in ſanctis cæptis nutare incipiant, ſequè amando immutari. Quod ſi adverterint, agnito errore celerrimè reſipiſcunt. noxisquè auſtero dolore expiatis, cum Deo in gratiam redeunt, ſequè ejus voluntati denuo transſcribunt.

97. Sexto hoſpitio accipitur genus illud nobile Viatorum, qui cùm ſe Deo totos permiſerint, in ſui integerrima abdicatione unum Divini honoris incrementum conſtanter quærunt nullis inde rationibus amovendi. Sed & hìc aurum ſcoriam habet,

bet. Feruntur, hi occultâ quadam naturæ inclinatione, ac penè soliciti in spirituales suas delicias, nondum scilicet depuratâ intentione, & vel tantillâ inquiete illapsum Divini spiritûs remorantes. Etenim cùm votis nondum omnia in Dei gloriam dirigant, nequè in absolutam sui abnegationem incumbant, minùs aptè utuntur cœli donis, & ope sibi divinitùs ad agendum concessâ.

98. In septimo duntaxat illos reperias qui didicerunt laudabiliter frui cœlestibus auxiliis, itaquè proficere ex Divina amicitia, ut fructus omnes, quos illa procreare solet, sedulò colligant, assveti in prosperis juxta & adversis lucrum facere: parati in omnibus seu animi seu corporis negotiis beneplacitum Divinum sequi, umbræ instar, quæ corporis motum imitatur: prompti ad agendum patiendumquè juxta normam vitæ & passionis Redemptoris sui: firmati in ejus solidissimo amore, & ad quamcunquè turbationum procellam semper immoti. Inde non agunt solum sed sustinent etiam grandia, perfusi semper opibus divinis, mente illuminati, & voluntate semper in Deum propensi. Quia tamen abundantia solet incautis periculosa esse evenit quandoq;. ut â tramite nonnihil abducti ad delicias suas vel afficiantur immoderatiùs, vel eas sensibiliùs degu-

stent,

ſtent. Huic quoquè errori ponendus eſt modus, & oblectamenta ex pietatis ſenſu naſcentia, vel non quærenda omninò, vel cautè admittenda.

99 Octava ſtatio occupatur ab iis, qui ſe ſuaq; omnia puriſſimè in DEUM referentes, impenſiſſimè gaudent ab ejus voluntate omnia de ſe, ſive quæ ad hujus, ſive alterius temporis conditionem referuntur, ex libito diſponi, non reſervantes ſibi ne minimam proprietatem, & ab omni penitùs creaturarum affectu liberi. Hos DEUS ſolet peculiaribus gratiis, & amicitiæ ſuæ argumentis confovere, remota iis aperire, & cœleſtibûs quandoquè oraculìs recreare. Verùm hoc uno laborant, quòd non æquabili gaudio ſentiant ſe bonis illis perfundi, ac deſtitui. Latet enim ſub ea fruitionis lætitia genus quoddam propriæ voluntatis, coram Divinis oculis admodùm culpabilis, quâ exutos, omniquè affectu liberos præſtaret ſolùm admirari, & prædicare Divinam bonitatem, quòd immerentes ex infinita ſua bonitate tàm liberaliter accipiat. Quin, quantum ipſorum intereſt, parati eſſe deberent illâ piiſsimi Numinis liberalitate deſtitui & quaſi derelinqui, ſi ex ejus foret beneplacito. Nequè enim blandus ille donorum, favorumquè apparatus, perfectæ virtutis argumentum eſt, ſed fidus duntaxat index bonitatis Divinæ, quâ teneras

ras adhuc mentes ad iter perfectionis attentandum invitat.

100. Ultimus demùm locus, eos solos hospites habet, qui ardentissimis virtutum operibus, purissimis desideriis, ac filiali Dei timore instructi. aboleverint cupiditates omnes terreas, extinxerint affectus carnis & sanguinis, ac instar spirituum ipsâ etiam voluntate exuti uni Deo vivunt Ardens quippe in Deum amor, â quo animantur, totiùs hominis imperium occupat, ipsamquè naturam supra se, ac conditionis suæ modum constituit. Hi proximiores sunt & electi Dei filii. in quos largissimè suas opes defundat: quibus copiam faciat Divini oris penitiùs contemplandi: quibus deniquè intima familiarissimè aperiat. Atquè inter hæc adeò temperatè se amant, ut in illa cœlestium donorum fruitione non sistant, nequè de iis, uti de bonis propriis delectentur, sed omnia in unam Dei voluntatem referant, in eaquè conquiescant. Extincto quippe omni respectu, & abdicatâ sui arbitrii ac privati commodi ratione, solâ Fide & charitate nixi, alacriter expectant quamlibet rerum adversarum tempestatem, unius Divini nominis augendi, proximiquè beandi causâ, absquè ulla cœlestis solatii aspersione aut lenimento. Nihil asperum, nihil vile aut abjectum, nihil probrosum, aut triste excogitaveris, quod non existiment sibi de

deberi, absq; fuco ullo se postremos omnium hominum judicantes; nequè aliud suspirantes, nisi calcari, abjici, torqueri, & mille tormentis pro Christo excruciari: quanquam illâ adversitatum copiâ nunquam eò cumulandi, ut non semper optare audias: *Amplius! Amplius!* Et quanquam cum Paulo aliud ignorent, nisi gloriari in cruce Domini sui, haud propterea negligunt mentem suam cœlestibus donis adaptare, quibuscum copiosè ditari solent, & effici instrumenta idonea Spiritûs Sancti, in omnem ejus nutum faciles, & in misericordiam humiliter grati. Eorum in pectore Dei simul & alienæ salutis amor ardet juxta ac fulget, indequè accensi, quidquid in exterioribus abjectum magis aut afflictivum est, quantum de se, avidissimè inquirunt; intùs verò charitate pleni, proprii expertes arbitrii, desiderio sensibilis voluptatis prorsus alieni in omnibus imitari student unum suum Magistrum ac Redemptorem Jesum. Videat nunc, qui Dei servitio se adscriptum cupit, quâ classe accipiendus sit, & quantùm adhuc à meta remotus: ne jam tertio cœlo se illatum putet, adhuc se reperiat in ipso aditu, vixquè primum gradum in sacro itinere posuisse.

DICTAMINA GENERALIA.

DE CASI.

NOn rectè mortem definieris dicendo: æqualem esse diviti ac egeno, Cræso, ac Iro. Vita idem facit: tàm Regibus infesta est, quàm mendicis, tàm favens utrisquè. In omnes dispensat gaudia & dolores, nisi quod in Regibus occurrat materia major. Ast gibbus elatior non implet animum, onerat solùm. Majestas quoquè objecti non subingreditur sensum; nequè major est acies prospicientis in juga montium, quàm in granum arenæ.

2. Avarus animam suam venalem habet; prodigit eam quovis lucro. Assentatori mendacia sub hasta sunt, inde comparat favores. Qui honoribus inhiat, nundinatur pericula; qui omnibus se ingerit, contemptum; infelix meliore cæteris sorte cautelam. Contrarium prosperitas habet: dolos mercatur pretio excessivo.

3. Si oculos animumquè in se reflectere, Aristoteles nominavit fatuitatem, certè in alios defigere aut error est, aut errandi periculum. Pronissimum quippe est judicare unum altero meliorem, hujus conditionem

nem præſtare alterius; id eſt anſam dare, unde vel torquearis ipſe, vel alios laceſſas. O cœcam hominum malitiam! plus ſtudent aliena rapere cum moleſtia, quàm frui propriîs cum quiete.

4. Uti ceſpitant pedes, ita lubricant cogitationes: adverte, unde firmentur. Solidiùs non fixeris, niſi complendo quod debes. Nam ſi ambitio eas impellat? cadent ex alto præcipites: ſi avaritia? impingent in imo: ſi voluptas? corruent in plano.

5. Ardea liberè ſe gyrat in aëre, nec impingit. anima verò cùm aliò vagatur, vias obit periculoſas. Proinde veluti corpus ſemper intra tutiora ſe colligit, ita & illa amat ſuìs limitibûs contineri. Territorium animæ eſt noſſe conditionem ſuam, hoc ſolùm ſtadio decurrat. Genus apoſtaſiæ in Religioſo eſt, pedes habere in cella, animum in compitis.

6. Qui nimio labore contendit obtinere, quod appetit, abjecti animi eſt, aut, quod idem ſit, ſi non pejus, elati. Eſt inſtar damnai ad triremes, aſt pendentis è patibulo, vitamquè agit, quaſi è filo pendulam.

7. Invidia cor Scorpionibus replet: vanitas caput exinanit, dum ex vertigine corruat. Senſualis, vitam habet vitream, piger plumbeum corpus. Epulo gerit characterem beſtiæ; crudelis, feræ: ſuperbus dœmonii; caſtus Angeli.

8. Ad dandum consilium opus est animositate, ad recipiendum patientiâ: ad petendum candore, & veritate; ubi passio subintrat, cuncta pessum eunt. *Multi* petendo consilium pro eo quod agendum est, quærunt approbari id, quod libitum est.

9. Arduum est *suadere, quibus sensus proprius pro oraculo est. Aut enim consilium perditur, aut consultor; præsertim, si, cui suadetur, authoritate polleat. At verò non desunt occasiones, in quibus vel gloria sit, vel debitum periclitari.

10. Non illi consilium proficit, cui amplus est ad cognoscendum intellectus, sed cui modica ad renitendum voluntas. Malitiâ voluntatis, non judicii, perverti consilia solent, penè dixerim, everti.

DECAS II.

11. Felicitas, quædam nasci solet, alia seminari, alia fieri. Nascitur, quæ spontè occurrit: seminatur, quæ resultat ex meritis: fit, quam prætensio extorquet. Hæc duplici formâ exprimitur, dolo & industriâ. In illo formatur ex luto, in ista funditur ex ære, atquè hinc magis duratura. Neutra tamen immunis est, quin ab invidia proteri possit, & confringi.

12. A virtute homo redditur bonus, ab operibus magnus, ab occasione celebris. Non parum felicitatis, tempus ipsum subministrat.

13. Ni-

13. Nihil ſic ſolet gravare, ac vanitas; & licet res ſit maximè inanis, pondus tamen habet intolerabile. Ut plauſum ſuſtineas in foro, nihil manducabis domi. Quas non expenſas veſtium pompa? quas non curas frequens famulitium? quas non punčturas cauſat punčtum honoris? Deniquè vel cor affligi ſenties, vel caput torqueri.

14. Qui benefacit extraneis absquè neceſſitate, & deſtituit domeſticos immemor obligationis, aut inſipiens eſt, aut crudelis: vel ſi utrumquè conjunxero, vanus.

15. Sufferre hominem, manſuetudo eſt: ſufferre fortunam, fortitudo: ferre dolorem, tolerantia: ferre ſeipſum, aliqua virtus: calumniam, plurima: ſufferre omnia, ingens remedium. Porrò id planè unicum eſt adverſus iliadem præſentium malorum.

16. Præter conſcientiæ vermem alius quoquè eſt, qui graviſſimè arrodit: habent nimirum & invidi vermem ſuum. Livori nunquam deeſt, quod morſicet: veriſſima animæ teredo, carcinoma mortalium, virus, & baſiliſcus, qui non occidit, quos reſpexerit, ſed ipſum reſpicientem.

17. Non tot mare, quot terra periculîs ſcatet. Faciliùs hic, ac iſthic te caſus invenit. Quem major in republica dignitas evexit, majori quoquè periculo obnoxium

 tenet.

tenet. Metuendi sunt ei non casus solùm humani, sed & judicia Divina, non culpæ duntaxat propriæ, sed & errata aliena.

18. Propter peccata populi solet permittere Deus, ut peccent, qui præsunt populo: atque ita seu justè Magistratum subeas, seu callidè subintres, delicti expers non eris.

19. Angeli sunt *Ministri* misericordiæ Divinæ: dœmones justitiæ: homines instrumenta utriusquè. Propter Magistratum benè fit populo, & propter eundem castigatur. Ambiguum Dei instrumentum est, qui gubernat: tam aptatur in pœnas, quàm in gratias.

20. Providentia Divina est instar hydrophilatii, è quo ceu per aquæductus derivantur in homines vel præmia vel supplicia. Illis eliciendis cor *R*egis vertibulum est seu clavis primaria, quam torquendo ora salientium aquarum aperit, & torrentes suos in nos diffundit. Sapienter proinde Sapientissimus: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini; quocunquè voluerit, inclinabit illud.* Prov. 21.

DECAS III.

21. Fastus efferentis se, est hydropysis spiritualis, in eo discrepans à corporali, quòd hydropicus sitiat aquam, elatus aërem; tumor par est utriquè.

22. Qui prævertit facienda, non retardat, sed qui involvit: à præcipitantia penè idem per-

periculum est. Nam qui accelerans cursum cespitare cogitur, næ ille non longè processerit; minùs itinerando proficiet, qui subinde ad diversoria redit iis sumendis, quorum oblitus fuerat.

23. Posse benè facere, felicitatis est: actu facere, virtutis, & Regii muneris: velle benè facere, dotis Divinæ. *Ex adverso*: posse agere malè, imbecillitatis est humanæ; actu malè agere, summi periculi: velle malè agere, animi vilis & abjecti: velle aliis malè, dæmoniaci.

24. Animantibus fœdis, & quæ abominamur magis natura virus insevit. Idem habent querulosi; tàm facilè venenum eructant, ac dente virulento admordent. Vilissimum est hoc hominum genus.

25. Quia ambitione abripiuntur Principes, solent adulatione fascinari. Nisi inordinatus eos abriperet honoris appetitus, nunquam crederent adulantium blandimentis. Semetipsum fallit, qui per aliena encomia aucupatur gloriam, non per propria benefacta. Laus est exactio honoris, & hunc propria opera impetrant, non dicta aliena.

26. Grandis machina est Regni gubernatio: ei movendæ nulla trochlea aptior Regis exemplo; cui scilicet non sufficiat eliminare vitia, sed & suspicionem illorum. Olim homines fingebantur Dii esse, ut illorum

tum excusarentur vitia; hodie videas ipsis Regibus vitia affingi.

27. Descíscit ab homine, qui vel fastu supra hominem se attollit, vel infra bruta sensualitate deprimit. Per illum æquatur dæmonibus, per hanc bestiis.

28. Arrogantia, est magnes maledictionum: ira, radix discordiarum: sensualitas sementis ægritudinum: avaritia, matrix periculorum: invidia, fons turpitudinum: imprudentia, acervus errorum: debilitas mons difficultatum, & vallis jacturarum. Deniquè non est vitium, quod carò non steterit.

29. Quemadmodum numeri, & divisionem suam habent, & integritatem; ita & vitia. Eâdem quippe ratione, quâ dicimus: tria & tria sunt sex, verum quoquè erit dicere: vilitas animi, & ambitio faciunt superbiam: rancor, & elatio invidiam.

30. Nulla melior Legum glossa, ac Principis exemplum: omnes inde imbuuntur, omnes percipiunt, quidquid in eo legerint. Porrò exempli efficacia sumenda non est à persona, quæ illud dederit, sed ab opere, quod patrârit. Implêsse legem, non posuisse, vim habet. In Legibus mens est regnantium, in factis vita subditorum. Exemplum malum de nullo sumendum est, de malis aliquando bonum. Neque justi semper

per agunt, quod melius eſt, nequè perverſi ſemper negligunt, quod bonum.

DECAS IV.

31. Generoſos juvat prudentia, audaces fortuna: arrogantes patientia aliena, humiles propria, ſuperbos vilitas ſua.

32. Perversum eſt, erroris conſcium vivere, lugendum in eo deceſſiſſe. Hoc agit, qui non contentus immerſiſſe ſe vanitatibus, dum vixerat, in id quoquè curas ponit ut earundem memoria ſuperſit poſt mortem.

33. Quis non illacrymetur iis, qui dum mundum effectu deſerunt, tenent affectu. relinquentes in eo pignus perpetuum voluntatis ſuæ vel deceptæ, vel vitioſæ. Vanum emori, vanitas eſt totius vitæ vaniſſima.

34. Triſtiſſima vanitatis, & deceptionis victima, mors illius eſt, qui ſentiens finiri vitam, non advertit finiri ſtultitiam ſuam.

35. O perverſiſſimam mundi fidem! toties illudentem nobis, nunquam tamen non amatam! Ubi ille te negligit, ac penè contemptim habet, tu curâ illius adeò tangeris, ut curam negligas Dei!

36 Nemo, quod in pretio habet, deſidioſè curat: ſolet æſtimatio ſolicitudinem imperare. Quæ par ſuperbo magnitudo? & tamen depoſitâ curâ vileſcit ſibi: nullius satagit minùs, quàm ſui. Negligit morum

pro-

probitatem, ut augeat honoris plausum, propriis se damnans votis, cùm inde vilescat, unde quærit æstimari.

37, Aula Regia centrum est mundi; eò se colligit omnis gravitas vitiorum. Illuc invidia iter instruit: eò adulatio progreditur, post se trahens mendacium, fidissimum Achatem. Christus Redemptor noster non nisi funibus attractus Palatium subiit, maluitquè silendo mutus videri, quàm loquendo mendacii suspicionem inducere. Levius judicavit notari de facultate, quàm periclitari de fide veritatis.

38, Honor res est prorsus arbitraria: ibi solet investigari, ubi & infamia occurrit. Ut eum prætendas, opus est prudentiâ; ut consequaris, felicitate; ut conserves, patientiâ; ut ambias, dolo & astutiâ.

39. In assentationem Princeps se præmuniat metu, in veritatem patientiâ: ad hanc non decet commoveri, ab illâ câveat decipi. Præstat errorem doceri, quàm ignorantem seduci.

40. Epidemia Nobilium, & contagio Principum assentatio est. Ei prævertendæ juverit colere sinceros, apertiquè pectoris, execrari loquaculos, & exaggeratores, odisse inflatos, honorisquè præcupidos. Aliud quoquè antidotum in pestem illam valet, si ambitioni obnoxius non sis, amesquè modestiam statui congruentem

vanum recidunt laudes blandientis, si non afficiant animum audientis,

DECAS V.

41. Loqui malè infirmitatis est: loqui benè, virtutis: loqui vera, ingenuitatis: opportunè loqui, prudentiæ: loqui *importunè*, stultitiæ: non loqui, ubi loquendum est, pusillanimitatis.

42. Per Periphrasin mentitur, qui pollicita sæpius pollicetur: judicium præbet, se nunquam facturum, qui bis dixerit: *mane faciam*. Jucundè quidam: per plateam *Deinde* venitur ad domum *Nunquam*.

43. Silentium merentis laudari est commendatio per substitutos. Omnium ora in sui encomia solvet, qui de seipso nullum dixerit: quemadmodum è contrario omnibus ansam præbet murmurandi, qui officium sumit seipsum deprædicandi.

44. Aëre tàm corrupto nemo vixerit, quàm unde alitur assentator. Proinde veluti, cùm contagio serpit, amuletum pectori appensum gerimus, ita Princeps adversùs pestiferam adulationis luem cordi apprimat amorem ingenuæ veritatis, non fucatæ apparentiæ.

45. Falsò imponimus virtuti, quasi res foret hac in vita ultra modum ardua; fama plus difficultatis habet. Illa enim in nostra est potestate, hæc in placito alieno; & licèt Virtuti laus debita sit, multìs ta-

men parari vult requisitîs. Præfigenda enim est occasio operis, capienda ejus notitia, statuendum tempus, ac demum ineunda conspiratio applausûs. Virtus in silentio operatur, neque alio apparatu indiget, quàm corde bono, & fuci experte.

46. Ens confusissimum superbus est; nemo ejus indolem penetrârit: quin & ipse cæco judicio ignarus est sui. Ægrè dixeris aliosne magis æstimet, an contemnat. Assuetus livori, invidet etiam ei, qui minùs habet. Plus in eo est, ut imitetur vanitatem alienam, quàm ut curet necessitatem propriam.

47. Non immeritò dubitaveris, an, quod vulgò opinamur, assentator semper quærat commodum suum: non enim honorat illum, qui utilior est Reipublicæ, sed qui acceptior est Regi. Cæterùm adeò perversus est, ut certis utilitatibus omnium unicam incertam anteponat suam.

48. Si ex vero loquimur, ipsum adulationis nomen abominabile est, ac penè idem, quod publica proditio: potis enim est, mentiendo uni, interitum procurare omnibus. Rex unicus Assentatoris dolo inductus ruinam adfert Regno universo.

49. Prudens prævidet pericula: timidus fingit: justus non metuit: honoratus contemnit, fatuus invenit: temerarius quærit: infelix incurrit.

50. Va-

50. Varius Pacis usus est: mites illam possident: patientes conservant: pacifici efficiunt: eâ fruuntur boni: malis se fingit; simulatur à proditoribus. Veram ac germanam solus Deus dederit, quæ hìc insolit animam justi, ac tandem æternùm perseverat in cœlo.

DECAS VI.

51. Magnarum opum hæredes filios scribere, est ansam præbere, vel ut multùm dilapident, vel ut seipsos perdant. Qui plus substantiæ congerendæ, quàm virtuti in prolem derivandæ studet solicitus pater, erit fortè cæteris homo opulentior, at omnibus Parens infelicior.

52. Raró prosperè evenire solet filijs opulentorum: evanescit, quæ eos contingit substantia, & vix transit ad tertium hæredem. Ardens solicitudo, quá indefessi parentes coacervarunt temporalia bona, gradus sunt, per quos filii præcipitantur in gravissima mala. Lucrantur illis bona fortunæ, & obnoxios reddunt moralibus malis: illorum cura, horum neglectus est.

53. Pluris interest filios nosse, quì opes conquirant, quàm quî dissipent. Illud virtus docebit, hoc divitiæ. Mores boni hæreditas bona; abundè ditant, quem his dotant parentes. In magnis censibus multa superfluunt: virtus â medio roboratur, & â mediocritate fortuna solidior est.

54. Plerumquè videris, qui molestè omnia tolerat, ægrè quoquè ab aliis tolerari: nequè ullum queri frequentiùs, quàm qui querendi segetem præbet. *Superbia* inhumana est, non ferre homines.

55. Unus alteri subsidio sit, & alteri onera, uti Apostolus jubet, alter supportet. Inurbanitatis se reum facit, ne dicam, injustitiæ, non sufferendo alios, qui cupit, ut se ferant alii.

56. Ignorans est, qui existimat nihil à se molestiæ derivari in alios; arrogans verò, qui credit se immunem ab onere tolerandi. Patiendo pacificus es, prudens, magnanimus, & beneficus: tantîs se cumulat bonis, qui facilis ignoscit.

57. Habent negotia circumstantias suas, hebent & consequentias; sed finis prævalet, & ratio agendi; nisi fortè circumstantiæ desinant esse accidentia, & consequentiæ destruant ipsam substantiam. Negotia soliditatem suam sumunt à fine: idcircò figendùs est ad centrum seu substantiam oculus, non ad circumferentiam illorum.

58. Motus naturalis per lineam rectam suum fertur ad centrum, non declinando ad latera. Idem agendum est in negotiis. Qui neglecto rerum fine divertit ad circumstantias, ansam præbet deviandi. Nauta in punctum Septentrionis advertit,

non

non in conſtellationem, quæ circum illud gyratur.

59. Prô quantis res humanæ inconvenientiìs turgent! inde ſolent erumpere, unde minùs exiſtimes erupturas. Attamen veluna omnes falce reſcindere, foret inconveniens cæteris omnibus longè maximum. Uſu ac tempore firmatas leges, aliquorum causâ infringere, non eſt aſſecurare rem, ſed immutare; patebitquè futuris annis naſci inde, ſi non incommoda eadem, cèrtè paria aut majora.

60. Ubi unus aliquis caſu deliquerit, non exinde ſtatuenda lex univerſis. Nequè enim æquum videtur ob unius culpam caſtigari omnes. Plectatur reus, & pæna ſubitura eſt vicem legis.

DECAS VII.

61. Antiquitas ſemper venerationi ſit, ejus majeſtate ſtent, quæ fuerunt. Inſueta adducere, eſt ſentinam movere, nunquam non horridam vaporibus ſuis. Qui cupit reformare Rempublicam, caveat ne deformet: periculoſa eſt ſæpè mutatio etiam in melius. Leges novas condere, gravare eſt: multiplicare, confundere: immutare, in dubium adducere: veteres ſervare, honorificum, & glorioſum.

62. Novitas ſui causâ amanda non eſt, potiùs execranda; niſi forſan ea ſit, quam vel neceſſitas imperet, vel ſacram faciat

utilitas publica: inde solummodò honestari potest.

63 Tollere abusus, quos vel hominum incuria, vel temporum injuria invexit, non est quid novum statuere, sed potiùs, quod antiquatum est, restituere.

64. Non sunt continuò dicenda nova, quæ incognita, sed quæ nec nobis visa, neque Antecessoribus unquàm fuêre perspecta Si quid prior ætas obsoletum habuit, depurandum est, & vigori pristino restituendum. Præstat renovari Rempublicam, quàm innovari.

65. Calumniosè locutus fuit, qui *Magistratus* nuncupavit tutores legum: injustum quippe est legem tractare uti pupillum, id est, cum ea ex arbitrio statuere. Non illam Demosthenes, filiam dixit, sed Regiam. *Magistratus*, ejus *Ministri* sunt: servire Legi debent, non imperare.

66. Sunt qui opere valent, sunt qui intellectu; & hi primo statim intuitu comprehendunt, quod alii prolixâ indagine vix assequuntur. Illud censeri debet donum naturæ, istud virtutis, cujus impulsu pertinax labor non raro superat ingenii felicitatem. Prævolvat aquila, sed bos lassus fortiùs figit pedem.

67. Quorundam ingeniorum primæ imagines non auspicatæ solùm, sed & certissimæ sunt: feliciùs operantur impetu, quàm

quàm per multas ratiociniorum ambages? quibus scilicet temperatus calor, & per opposita momenta quasi retusus, minor fit in concepti operis executionem.

68. Admodùm terrifica visa fuit mors Philosopho, eâ solùm de causâ, quòd finis ſet omnium temporalium: ego longè dixerim horribiliorem ex eo quòd principium sit æternorum. Mors bivium est æternitatis, unde nos vel orcus accipiat, vel sedes beatorum. Vis non timere rem tàm terrificam, mortem inquam malam? bene vive.

69, Passio nonnunquam est instar flammæ ardentis, aliquando veluti prunæ, subinde quasi candela. Cùm repentina est, subitò exardescit, seque diffundit, sed & ilicò in fumum abit: excæcat tamen. Lenta se cooperit, & instar prunarum cineribus involvit, ustura eum, qui evolverit. Quæ justa est, & boni causâ accenditur, instar candelæ illuminat, & vigorem præbet veritati.

70. Minor sui cognito, & vehementior Passio transvertunt sensum sapientûm: impellunt in errores absquè discrimine, coguntquè quasi viam tentantes in tenebris oberrare. Tantundem refert, ut benè te noveris, ac generosè viceris: inde pendet operatio bona, & vita jucunda.

DECAS VIII.

71 E duplici fonte ſuperbia ſcaturit, voluntate, & intellectu: illâ, cùm ſe quis nimiùm amat; iſto, cùm ſe quis minùs novit: aliquando ortum ſumit ab utroquè. In primo eſt exceſſus ſe amandi: in altero defectus ſe noſcendi, atquè hic ſerò emendabilis: in tertio miſeria abominanda. Conclamatum eſt de ſuperbo, qui ſui æſtimator eſt, & ſui ignarus.

72. Percipe querelas ſuperbi, jurabis eſſe interlocutionem dramaticam ſpectatoribus recreandis inventam. Quidquid profert, riſûs eſt materia, congeries mendaciorum, & chaos deceptionum; ut minùs dicam, catena tot erroribus, quot annulis innexa.

73. Bonitas electionis de prudentia venit eligentis, & cedit in felicitatem electi: nihil tamen inde ſecuritatis eſt. Mutantur in dignitatibus animi, & ubi fallit eventus, culpa redundat in electum, non eligentem. Deniquè hic ſolum licet tentare: nam ut divinemus futura, quis exigat ab homine mortali?

74. Midæ *Regis* digiti aurifodina erant, quidquid contingebant, tranſibat in pretioſiſſimum metallum, etiam ipſum cœnum. Figmentum hoc fuerit. Veritas eſt, attactu Voluntatis Divinæ omnia viliſſima transformari in pretioſa, etiam ipſum Jobi ſterquilinium.

75. Be-

75. Beneplacitum Divinum forma, & typus est omnis boni; quocunquè se immittit, illud consecrat: omni materiæ, cui se imprimit, eximit vilitatem. Si vult, ut intereas, pluris est, quàm si vivas. Si jubet contemni, præstantius est, quàm si mille plausibus eveharis.

76. Ad nocendum semper malorum vis pejor est, & damnum majus. Unica aceti gutta ingens vini dolium corrumpit, & modicum veneni pervadit integrum corpus, Majoris adhuc efficaciæ est Voluntas Divina: extinguit penitùs omne malum, & in eximium bonitatis pretium convertit.

77. Habet hanc bona intentio prærogativam, ut nunquàm non operetur benè; dum etiam in iis, ubi error intervenit, non solet à recto aberrare. Poterit videri aliquando errâsse etiam in legem Dei, verùm quod humano judicio erroneum credimus, oculis sæpè Divinis probatissimum est. In affectum DEUS advertere solet, non in effectum.

78. Non benè agenda præfixerit, qui à fine aberrat. Benè collimâsse augurium est contingendi. Eligens apta media in finem malum. errat per circuitum.

79. Non negligit se, qui benefacit proximo; quin qui succurrit necessitati alienæ, prospicit propriæ. Beneficium est cane fide-

delius; si, perdiderit herum suum, inquirit, repetitquè lares, unde abierit.

80. Quemadmodum fatuo solemus condescendere, quia fatuus est, & malitiâ caret, ita cum mundo, dum peccatum abest, dissimulandum est. Addicere ei obsequium sincerum, culpam habet & pœnam: fictè ei deservire, toleranda prudentia est. DEO serviendum corde toto ac sincero: mundo nequè verô, nequè fictô. Urbanè eum tractat, qui dissimulanter se habet, & non omninò abjicit, aut pedibus conculcat.

DECAS IX.

81 Multîs rationibûs desipit, qui non se novit, & querulatur. Passio eloquentem facit, sed absquè ratione: præbet verborum copiam, sed & mentis inopiam.

82. Pons, qui te ad solium fortunæ deduxerit, occasio est; ad minus est medietas felicitatis: alterum dimidium diligentia absolvet. Diligentiæ industria manum porrigit, huic desiderium, magnus hujus fabricæ Architectus.

83. Negotiatorem nunquam solùm reperias: semper stipatur vel â dolo, vel ab industria, vel â favore, vel â meritis. Dolus solet esse proditorum: labor ambitiosorum: favor palponum: merita debilium.

84. Qui gravi, faciliquè censurâ notare consuevit alterum, vates est sibi idem eventu-

turum ab aliis. Justum enim est legem patiaris, quam ipse tuleris.

85. Nihil magis convenit, quàm quo obstringimur. Idem est si non agas, quod oporteat, quàm si agas, quod dedeceat.

86. Aptè passionem dixeris temulentiam cum libertate: nemo pejùs delirat, quàm qui liberè delinquit Passione incitatur voluntas, à judicio disponitur executio, atquè ita duplici malitiâ peccat, qui peccare constituit: malum enim est malum velle, pejus autem exequi.

87. Parùm differt ab exploratore Magistratus, apud quem Statûs consilia tecta non sunt. Æquivalet proditori, qui publicum bonum privato postposuerit. Pejor est imprudente, qui navem Reipublicæ fallaciìs circumagit. Demùm qui animum non reflectit ad supremum Numen, nihil melior est Atheistâ.

88. Pondus mundi gravissimum est, & quod mirêre, levitas ejus hoc facit. Error intellectûs (quis dubitet?) gravior est pondere metalli. Plus ille doloris procreat, quàm gravitas plumbi. Geminô autem errore vanitas mundi conficitur: uno errat in fine; altero in mediis. Finis rerum Deus est: ille statuit voluptatem; en primum. Medium ad voluptatem temperantia est, usquè moderatus: ille eligit excessum, & jam errat in toto.

89. Nun-

98. Nunquid cassus est, imò & ridendus labor, ignem aquæ applicare, ut frigefiat. In idem planè satagit mundi vanitas: distorquet res in finem, & hunc confundit cum mediis. Insanit, qui rebus tollit proportionem.

90. Qui eximiam de suis rebus æstimationem gerit, similis est ponderanti carbones: remanet vas, & fuligo in facie vendentis. Si vaniculus res suas ad libellam expenderit, reperiet nec dimidium ejus esse, quod de se supposuerit.

DECAS X.

91. Prudentis gravior lapsus est, quàm fatui; si nimirum electîs benè mediis aberret in fine. Sic enim error errori additur, cùm medium bonum tingi soleat â colore finis mali.

92. Præstiterit errare in mediis ad obtinendum finem malum, quàm ipsum finem assequi: nam si non evaserit ignominiosum, carebit saltem infortunio. Tentare malum malitia est, eligere in id media apta, malitiæ superaddit infelicitatem.

93. Nullius tàm felix electio est ac mortis bonæ. Tametsi nostrum non sit mortem eligere, laborandum tamen est, ut moriamur benè. Imo quia arbitrii nostri non est, quando, quî morituri simus, idcirco vivendum nobis est, quasi omnî momentô migraturis. Hac ratione dubietas p

culi minùs accidet periculosa, & certitudo moriendi minùs odiosa.

94. Vita incerta est, quam vivimus: mors certa, quam præstolamur. Ad quid tantus apparatus in vitam, & tantus neglectus in mortem? Ut scias, quæ moriendi tua sit hora, omnem reputes esse postremam.

95. Vita præsens vicus est amaritudinis. Addictus supplicio, dum è carcere ad theatrum ducitur, non quærit viarum diverticula, sed rectâ tendit ad agonem. Omnes de matris utero velut è carcere prosilîmus, morti adjudicati; dum vivimus, ad supplicium tendimus: quid declinamus ad effugia? moriendum deniquè est.

96 Sunt merces, quibus Regum decreto cautum est, è Regno non efferri, aliàs fisco addicendis. Eandem sortem subeunt opes hujus mundi: terræ addictæ nequeunt trajici ad Regnum æternitatis. Solis operibus hæc prærogativa est,

ut transeant de terra in cœlum. His te mercibus oneratum velim: nam omnes eò tendimus æternitatem mercaturi.

97. Ut ut modicè vixeris, semper, dum moreris, superest aliquid; at virtus licet copiosissima fuerit, ejus adhuc in illa hora senties defectum aliquem. Nullum cadaver egestate premitur; interest autem animam hinc migrare affatim opulentam.

98. Annos vitæ plures numerare, non tam est diu vixisse, quàm proximiorem esse morti. Profecisse annîs, non virtute, non est producere vitam, sed imminuere.

99. Præsens vita non est, ut jucunderis, sed ut mercatum facias, & lucreris in tempore isto æternitatem alterius. Qui facit jacturam temporis, facit jacturam æternitatis.

100. Quid è duobus pejus sit, non satis statuerim: onerari divitiis, quæ superfluant in vita, an obrui negotiis.

tiis, quæ impediant in morte? Opes viventi oneri ſunt; negotia, viventi & morienti. Illas dimiſeris facilè: his etſi te abdicaveris in vita, reſtant obligationes in morte, quibûs & conturberis amplius, & torquearis atrociùs.

FINIS.

INDICULUS.